HERMENEVTICA

BIBLICA GENERALIS

USIBUS ACADEMICIS

ACCOMMODATA

AB

ALTMANNO ARIGLER,

Theologiae Doctore, antea Professore Studii Biblici N. T. P. O. in Universitate Viennensi; nunc Abbate Ord. S. Ben. Gottwicensi, Sac. Maj. et Celsi Regiminis Consiliario.

VIENNAE, 1813.

In libraria Camesinae.

PRAEFATIO.

Hermenevticam disciplinam fere inde ab eo tempore, quo muneri docendi admotus sum, pluribus defectibus laborare intelligebam. Desiderabam præprimis accuratioris systematis ordinem, qui omnes partes ita complecteretur, ut nulla veluti adsuta videretur, aut loco suo moveri posset, quod in Ernestiano interprete, quem secuta est institutio interpretis sacri auctore doctissimo ac Cl. Greg. Mayer, non ita se habere, nemo facile negaverit. Præterea frustra quærebam plures rationes exegeticas, quas ab interpretibus in commentariis adferri videbam, quibusque ii jure nitebantur; vel saltem ita delitescebant, ut non tam generales, quam singulares leges esse viderentur. Denique per Eichhornium, Plankium, alios-

que gravissimos viros monitus intellexi, eam partem, quæ circa historicam interpretationem versatur, ne dicam, prorsus neglectam, certe tamen pro ea, qua pollet, dignitate minime fuisse pertractatam.

Quibus defectibus ut occurrerem, institutionemque Cl. Mayer, quæ tum temporis in usum prælectionum præscripta erat, quæque comparata cum suis æmulis facile eis palmam præripiebat, meliorem in ordinem redigerem, atque quæ deessent, supplere adlaborarem, provocabat me muneris ratio, quo perfunctus sum. Quæ, in hunc finem apta, in mentem mihi veniebant, aut aliorum in libris sese mihi obtulerant, collegiorum opportunitate in chartam conjeci, eorumque recursu singulis annis emendare atque perficere studui; nec alienus eram, ab iis aliquando publicæ luci exponendis. At ut nunc jam prodire facerem, vix ac ne vix quidem a me impetravi. Nondum enim eum ordinem mihi assecutus videbar, qui omnes partes eadem necessitate colligaret, singulis opportunissimum locum tribueret, nihil præmitteret, quod sequi; aut

vicissim subjungeret, quod præcedere deberet, omnemque, quæ inde redundare solet, lucem adfunderet. Necdum jam omnes hermenevticarum rationum copias in rem meam convertisse, aut in specie materiam de interpretatione historica, eamque partem, quæ de explicando sensu tractat, pro omni suo ambitu atque ita pertractasse mihi conscius sum, ut nihil, quod alicujus momenti aut plane ad interpretem dirigendum scitu necessarium sit, desiderari passus sim. Nec exemplis adductis facile acquiesco, atque e V. F. præprimis multo plura adferenda fuisse scio. Et quid denique de stilo atque latini idiomatis conformatione dicam, quæ a puritate, concinnitate, ac perspicuitate ea, quæ in libro publice emisso desiderari solet, longissime abesse nullus dubito? Quumque sic ne mihi quidem satisfecerim, quo pacto aliis satisfecisse sperem, qui pro majore, qua pollent, ingenii sagacia facile plures adhuc defectus eruerint.

Diu propterea reluctatus fui discipulorum desideriis, qui molestiæ dictata calamo exci-

piendi diu pertæsi urgebant libri editionem; tandem vero cessi, ea potissimum ratione permotus, qua Keilium quoque impulsum, vel potius non absterritum video, ut elementa sua Hermenevtices N. F. in publicum emitteret, quæque in eo sita est, quod tentamina etiam imperfectiora disciplinæ hermenevticæ, quæ nostris demum temporibus solertius excoli cœpit, non adeo respuenda sint, ac in aliis adultioribus disciplinis, eaque satis meriti habeant, si per ea, imo occasione eorum alii excitentur ad suppetias suas conferendas, unitisque viribus disciplinam hanc perficiendam. Accedit, quod alia vitia, quæ meo operi adhuc adhæreant, ejus generis esse intellexerim, quæ accedente oris explicatione, et in subsidium vocato Cl. Jahnii Enchiridio haud magno negotio removeri atque corrigi possent.

Usibus academicis enim unice prospicere volui, atque si id consecutus fuero, ut huic fini pro desideriis nostri ævi æqui censores libellum meum aptum, aut plane aptiorem esse judicaverint, quam qui eum præivere,

votorum summam metam mihi attigisse videbor. Quidquid monuerint, modo sine ira et studio, etiamsi severius, non tantum æquo animo feram, sed plane discendi avidissimus arripiam, et si datum fuerit secundis curis uti, gratus in usum meum convertam.

Correctionem typi ob distantiam moderni domicilii mei a loco typographiæ non ipse in me suscipere potui; subduxit se huic molestiæ R. D. Adolphus Joannes Koppmann, Theol. Doct. Stud. Bibl. N. T. Prof. publ. provisorius, cui grates meas hic publice profiteor, quemque, sin minus, quam optandum fuisset, a vitiis typographicis castigatum reddiderit libellum, maxime venia dignum censes, quum pro gravissimorum negotiorum mole, quibus pressus est, non licuit ei ea, qua par est, cura in hanc rem incumbere. — Quod vocabula syriaca hebraicis characteribus impressa sint, id quidem non gratum accidit mihi; ast ferendum tamen erat, eo quod typus amplius differri non potuit, ea typographia autem, quæ literis syriacis instructa erat, ob copiam aliorum laborum eum in se suscipere non poterat.

Opportunus quoque hic locus fuisset, alia quædam monendi, veluti, cur ordinem eum non secutus sim, quem secutus est Keilius in elementis suis; item queis satisfacerem censoris orationis meæ academicæ anno scholastico 1810 habitæ animadversionibus; attamen quum hisce, utut paucis, in ipsa hermenevtices tractatione satis, opinor, defunctus sim, ne inaniter in longiorem molem excresceret præfatio, abstinendum esse duxi. Vale jam lector benevole, atque his commode in rem tuam utere.

Gottwici, 17. Januarii 1813.

Altmannus Arigler,
antea professor p. O. stud. Bibl. N. T. in universitate Viennensi; nunc Abbas Ord. S. Bened. Gottwicensis, et Celsi Regim. inf. Austr. Consil.

CONSPECTUS OPERIS.

Hermenevticæ biblicæ generalis pars isagogica.

Hermenevticæ biblicæ Partis I.

S E C T I O I.

De inveniendo sensu per usum loquendi.

CAP. I.

De usu loquendi in genere, ejusque certa cognitione comparanda.

CAP. II.

De usu loquendi biblico.

א qualis sit usus loquendi biblicus; *A*) quoad communis erat omnibus scriptoribus hellenisticis.

A. De fontibus et subsidiis usum biblicum communem cognoscendi, et quidem *a*) quoad hebraisticus est.

A. In oratione continua cognoscitur;

B. In singulis dictis.

B. De fontibus, ex quibus cognoscenda sit tum rerum ipsarum conditio, tum sentiendi cogitandique ratio ætatis biblicæ.

I. De fontibus Christianis.

II. De fontibus Judaicis.

III. De fontibus Gentilibus.

PARS II.

De sensus inventi explicatione.

Hermenevticæ biblicæ generalis pars isagogica.

§. 1.

Definitio Hermenevticae biblicae.

Hermenevtica etymologice est ars vel scientia interpretandi. Descendit enim ab Ἑρμης, quod est nomen Mercurii tanquam Deorum internuncii et voluntatis eorum interpretis, unde formatum est verbum ἑρμηνευειν interpretari, indeque derivatum ἑρμηνευτικη scilicet τεχνη vel επιςημη interpretandi ars vel scientia. Interpretari jam vero est docere, quis sit verborum loquentis sensus: quod quum sine firmis solidisque regulis haud ita fieri queat, ut alicui de veritate sensus persuadeatur, Hermenevticam esse oportebit, systema regularum, ad quas sensus loquentis rite inveniri, aliisque perspicue exponi queat; et subjective sumta erit scientia regularum, a quibus veri sensus cognitio et explicatio pendet. Quodsi in regulis istis statuendis peculiaris ratio habetur scriptorum biblicorum, et quidem vel omnium simul, vel siugulorum, Hermenevtica biblica generalis vel specialis obtinetur. At-

que quum specialem rectius Introductionibus specialibus relinquere videamur, biblica generalis tantum hic nobis delineabitur.

§. 2.

Mutua inter Hermenevticam et criticam ratio.

Quum sensus loquentis certis verbis nonnunquam ita sit adstrictus, ut iis mutatis longe alius prodeat, vel saltem mutatione aliqua admissa verus sensus nonnunquam difficilius inveniatur; de veritate lectionis autem critica judicare doceat, patet Hermenevticam critica carere non posse ad finem suum certo vel felicius saltem obtinendum.*) Sed quum vicissim testes pro certa quadam lectione non semper ita consentiant, ut ex illorum authoritate de ea decidi queat, sed argumenta interna, quæ Hermenevtica suppeditat, in subsidium vocanda sint, hæc quoque gravissimam disciplinæ criticæ opem fert.

§. 3.

Termini disciplinæ hermenevticæ.

Quum finis Hermenevticæ sit docere, quis sit sensus verborum loquentis, seu aliis verbis: efficere, ut loquens intelligatur i. e. auditores vel

---

*) Hinc non inconveniens fuerit, introductionem biblicam generalem, quæ theoriam criticam complectitur, Hermenevticæ præmittere.

lectores idonei reddantur iisdem cogitatibus cum sermone loquentis conjungendis, quos ipse cum verbis suis copulavit; id vero effici possit, imo vero effectum esse debeat, antequam de veritate dictorum constet, aut ejus rei investigatio fieri queat, ad eam objectivum veritatis dictorum examen pertinere nequit *); eoque magis ab ea abesse debet, ac pronissima, præcipue in sacris scriptoribus, sit solicitatio, id ceu sensum statuendi, quod veritati objectivæ consentit; quam tamen utrum loquens viderit, non a priori, ut dicunt, potest supponi. **)

Neque, si is est finis disciplinæ Hermenèvticæ, quem esse diximus, ad interpretis provinciam referri poterit, homileticos textuum usus assignare, quum illi plerumque veri sensus angustiis non contineantur, sed ultra eum progrediantur; et præterea facile contingat, ut tyrones non modo iis potissimum acquiescant, de ipsa

*) Qræclare Melanchtonius apud Ernestium ait. „Non „potest scriptura intelligi theologice, nisi antea „intellecta fuerit grammatice.“

**) Ab objectivo dictorum examine probe distingui debet eorum ad sensum Veri exactio, quum hic quidem omni et singulo, qui sana ratione est præditus, non æque vero subtilior philosophica vel historico-critica rerum indago adjudicari queat.

sensus veritate minus soliciti, sed haud raro plane impediantur ab assequendo tenendoque vero sensu ad alia omnia iis deducti.

Denique licet æstheticum orationis examen minime alienum sit ab interpretis provincia, sed inde sæpius pendeat veri sensus inventio atque cognitio, regulas tamen ipsas, quibus adstringuntur diversa dicendi genera, non ipsa tractabit disciplina hermenevtica, sed ex rhetorica poesique rectius tanquam notas supponet.

§. 4.

De discrimine inter significationem et sensum.

Ne autem e contra interpres muneri suo jam satisfecisse arbitretur, si quæ cuivis vocabulo significatio subjecta sit, docuerit, sciat oportet, magnum esse significationem inter sensumque discrimen, et tantum quidem, ut quis optime tenere possit singulorum vocabulorum significatus, quin tamen sensum ipsum assecutus sit. Sensus nimirum est notio a loquente spectata, vel sententia orationi subjecta; significatio autem est notio verbis in se spectatis sive singulis sive junctis subjecta. Hæc jam quantopere ab invicem differant, ex sequentibus intelligere licebit;

1. Significationes unius ejusdemque vocis vel formulæ, si non semper, sæpius tamen plures

sunt; sensus vero semper est certa quædam notio vel sententia a loquente spectata.

2. Significationes semper immediate patescunt e potestate verbi; sensus vero haud raro per res demum, significatas verbis, indicatur.

3. Quæcunque potestas est verbo alicui subjecta, ea semper est ejus significatio; in oratione vero sæpius sunt, quæ ad solum ejus ornatum, ad sensum autem vel prorsus non, vel non nisi remotissime pertinent.

4. Significationes semper expresse indicatæ esse debent; oratio vero sæpius quædam cogitanda relinquit aut relinquere potest, ex serie et nexu membrorum cognoscenda; vel etiam: ex sola quadam membrorum mutua ratione sensus est eruendus.

5. In significatione semper nuda solum notio spectatur; in sensu autem constituendo maxime simul ejus, earumve ad animum habitus est expendendus.

6. Notio, quæ cum voce conjuncta est, et quam significationem dicimus, semper pertinet ad illud ipsum verbum cujus ea notio est; at notiones vel sententiæ orationi respondentes non semper sunt loquentis ipsius notiones vel sententiæ, sed eorum, ex quorum mente, vel ad quorum captum loquitur.

7. Denique significationes plerumque vagæ sunt, et diversæ culturæ hominum cogitationibus exprimendis inserviunt, at e contra sensus semper est certi cujusdam loci, et subjecti in certo culturæ gradu constituti, ita ut pro eo notio, nec quoad ambitum nec quoad gradum perfectionis, vaga atque indefinita esse possit. Ita verum est, sensum non assecutum esse, qui modo potestatem verborum cognovit.

§. 5.

Quæ in sensu inveniendo spectanda sint?

Sunt proin in sensu inveniendo præter usum loquendi, qui est nexus voces inter et significationes initus, consilium et nexus orationis atque cultura loquentis spectanda. Usus loquendi enim significationes quidem pandit, sine quibus nulla potest cogitatus in animo latentis cognitio obtineri, at quæ præ cæteris certo in loco spectata sit, aut quis sit notionis spectatæ ambitus, ex consilio demum patet, quia omnis diversitas significationum recte inde prodit, quod eadem vocabula diversis consiliis significandis destinata sint; et proin cognito certi loci consilio haud amplius obscurum esse queat, quæ sit adoptanda significatio, aut quibus limitibus circumscribenda. Utrum porro tenuior vel perfectior conci-

pienda sit spectata notio, a cultura loquentis pendet.

§. 6.

Sensus hisce conditionibus respondens verus est loquentis sensus.

Rationis humanæ enim ea est indoles, ut omnia ad unitatem redigere conetur, et temporis adstricta limitibus non plura simul complecti valeat. Pro eo jam vero quantacunque sit vocis vel formulæ potestas, quam egredi alioquin nemini licet, non nisi unica ubique notio concepta cogitari potest; quæ simul pro eo, ac certum semper atque definitum consilium est, quod loquens intendit, non vaga, sed certos intra limites contenta esse debet. Eodem modo culturæ gradus, unde pendet notionis vel perfectio vel tenuitas, in quovis individuo, uti quælibet res in facto posita, ex omni parte determinatus est, ita ut nec perfectior, nec tenuior esse possit notio, quam quæ huic ipsi gradui respondet. Quod autem ita comparatum est, ut non nisi unicum et uno modo esse possit, id simul verum esse debet. Quum jam notio a loquente spectata sensus dicatur, etiam sensus, qui usui loquendi, orationis consilio et nexui, ac culturæ loquentis respondet verus esse debet.

Huic contrarium videri possit, quod nonnunquam obtineat, ut loquens de industria am-

biguitatem sectetur, uti v. g. dum quis suspicionem heterodoxiæ effugiturus, Jesum deum dicit, qui tamen sociniano modo de eo cogitat. At revera tamen nobis minime contrarium est. Non enim ejusmodi revera duplicem tenet sententiam, sed unicam modo. Quatenus jam vero ita ambigue loquitur, ut quæ ea sit, definiri nequeat, eatenus eum intelligi noluisse dicendum est. Cum ejusmodi autem sermonis interpretatione Hermenevticæ nihil negotii esse potest. Interpretari quippe est efficere, ut lector vel auditor eadem cogitet, quæ ipse author verba faciens cogitavit: quomodo autem id efficiat, ubi loquens ipse nolebat, ut eandem auditores vel lectores cum verbis suis sententiam conjungant quam ipse animo conceptam tenet?

Præterea monendum forte est, non tolli hanc unitatem, si notio sit satis generalis, quæ diversas partes in se, aut diversas species sub se complectitur, eæque simul respiciantur a loquente; veluti Joh. 9, 5. ubi Jesus ait: quamdiu in his terris sum, hominibus lux esse debeo: haud sine allusione ad miraculum mox patrandum.

§. 7.

Enunciatio proposita supremum est sensus inveniendi principium.

Supremo principio nulla disciplina carere potest, quæ quidem ad dignitatem scientiæ ad-

spiret. Destitueretur enim suprema aliqua et universali regula et ratione qua uniantur, certæque esse intelligantur vel universim omnes cognitiones hominis, vel certi saltem generis. Hermenevticæ jam vero in proposita enunciatione tale præsto esse, facili negotio ostenditur. Ea enim immediate prodit ex scopo hermenevtices, vel ipsa sensus notione, qua superius nihil esse potest in hac sphæra; porro plene enumerat omnes conditiones, e quibus veritas sensus pendere potest. Nihil non, quod ad sensum inveniendum videri possit necessarium, ad unam alteramve earum revocari potest, nec patet, quid ultra desiderari queat ad hunc finem obtinendum, uti adparebit ex ulteriori deductione per decursum facienda. Eam autem ita comparatam esse, ut sensus ei respondens certus et verus esse intelligatur, satis nobis in §. præc. demonstrasse videmur. Ita autem simul patet enunciationem propositam omnibus iis numeris gaudere, quibus absolvitur supremum disciplinæ alicujus principium.

Ne vero illud propterea non idoneum esse censeatur ad sensum certo cognoscendum, quod eo non obstante, maxima adhucdum vigeat interpretum varietas, quæ tanta est, ut vix ullus sit gravior locus, qui non distractus sit diversis eorum explicationibus atque in contrarias pæne

partes agitatus, observamus, duplicis generis varietatem esse distinguendam, aliam, quæ ex natura rei, et aliam, quæ ex subjectivis, ut vocant, causis proficiscitur. Verum est, non ubique omnibus præscriptæ regulæ postulatis satisfieri posse, ita ut propterea ubicunque id ita obtinet, probabilitatis aliquo gradu sit acquiescendum, cujus jam vero ea est natura, ut contrariæ sententiæ possibilitatem non excludat. Id vero tantum abest, ut regulæ nostræ in vitium cedat, ut potius in vitium ei dandum foret, si rationes citius concludi pateretur; quia quidquid ultra vel infra rationum momenta verum esse admitteretur, falsum foret. Defectus hic maximam partem descendit ex fontium inopia, unde necessariæ, ad plenam certamque sensus cognitionem obtinendam, notitiæ hauriantur; qui, nescio, qua ratione infallibili aliqua authoritate, quæ novis tamen revelationibus non edocta sit, compensetur. Sed dicat quis: hac re interpretes tamen non impediri debere, quo minus convenirent in probabiliori saltem interpretatione amplectenda. Non diffiteor, ast præterquam, quod nonnunquam rationum momenta vere paria esse possint: porro quod eatenus revera multo major jam sit inter hodiernos interpretes, qui præcepto nostro inhærent, consensio, et pro conatu eruditissimorum, sagacissimorumque virorum, quo

singulas disciplinæ nostræ partes excolunt, perficiuntque; quo novos semper fontes eruunt, protestantesque diligentius perscrutantur, non inanis spes sit, fore, ut plura adhuc eorum, quæ hactenus obscura atque incerta fuerunt, imposterum magis magisque ad liquidum certumque deducantur; antiquiorum interpretum divergia maximam partem inde repetenda esse observo, quod sine omni directrice regula, veluti nautæ sine gubernaculo ratem pelago committentes, ad hoc negotium accesserint, solo obscuro quodam sensu ducti, a quo erroris periculum, et varietas vel in eruditissimis et sagacissimis viris vix abesse potest; recentiorum vero dissensiones, quæ supersunt, inde explicatum obtinere, vel quod perversum interpretationis moralis principium secuti, vel ab ingenio aut eruditione minus instructi, aut debitam diligentiam, severitatemque in subducendis rationibus deesse passi, aut denique præconceptis opinionibus imbuti, animove alieno sint ab amplectendo eo, quod verum vident. Quæ jam inde descendit varietas; non rei ipsi, aut disciplinæ, sed hominum unice vitio adscribenda est, qui imparati adeo aut indispositi ad interpretationis negotium accedunt, quæque ut removeatur, a nulla disciplina requiri potest. Neque huic malo video quo pacto per infallibilem authoritatem melius occurratur;

quum partim non desint, quibus singulis in casibus contra eam excipiatur, partim ad eos, qui ecclesiæ nostræ non addicti sunt, prorsus non pertineat.

§. 8.

Sensus hoc modo inventus sensus literalis, vel grammatico-historicus dicitur, varieque dividitur.

Antiquiores quidem vocabulo literalis vel literæ *) eam modo notionem comprehenderunt, quæ designat sensum verbis e contextu spectatis respondentem, quin rationem haberent culturæ loquentis, quæ tamen uti vidimus, in vero sensu definiendo non minus consulenda est. At quum tamen vocabulum istud, in se ipso spectatum, adeo latum sit, ut commode historicam quoque culturæ loquentis investigationem possit complecti, compellatio hæc non modo non deseren-

*) Quidam adhuc distinguunt inter sensum literalem et sensum literæ; ast præter mentem usumque antiquiorum, qui promiscue adhibebant hos terminos, uti patet vel ex notissimo illo versiculo. *Litera gesta docet, quid credas Allegoria; Moralis quid agas, quid speres Anagogia*, ac in quo, uti Allegoria, Moralis et Anagogia diversas species sensus mystici, ita Litera manifeste sensum literalem denotat.

da, sed propter brevitatem suam fere præferenda erit alteri illi, quæ est sensus grammatico-historicus, præprimis quum ne ipsa quidem satis accurata haberi queat, siquidem vocabulum grammaticus ad solam usus loquendi investigationem restringi soleat, et proin ut omnibus numeris gaudeat, grammatico-logico-historicus esse debeat.

Dividitur sensus literalis in proprium et improprium, prouti vel notio spectatur, ad quam indicandam vox aliqua primitus inventa fuit, vel ea, quæ propter similitudinem aliquam, vel alium naturalem nexum postea demum cum ea conjuncta fuit. Porro commode dividi potest in sensum verbalem et realem, pro eo, ac vel immediate per verba, vel mediate per res verbis significatas indicatur. Sensus mediatus sive realis dicitur etiam symbolicus, et si notio spectata pertinet ad rem vel eventum futurum, præprimis autem si pertinet ad regnum vel personam Messiæ, typicus dicitur, qui tamdiu non cessat literalis esse, quamdiu doceri potest, talem notionem a loquente spectatam esse.

§. 9.

Quid sit sensus mysticus? quid moralis?

Quum sensus literalis s. scripturæ non ubique proxime ad religionem spectet, id autem

permulti ita esse oportere existiment, sensui literali sensum mysticum *) adjungendum esse statuunt, sub quo intelligunt notiones religiosas, verbis sive immediate, sive mediate indicatas, etiamsi per contextum spectatas esse demonstrari nequeat. **) Imo sunt, qui ne tum quidem sensu literali acquiescunt, ubi is proxime ad religionem pertinet, sed ad principia practica rationis puræ exigendum, juxtaque ea perficiendum esse contendunt, ubicunque is principiis hisce non satis consentaneus esse videatur.

---

*) A μυω claudo, occludo, unde μυϛηριον, quo nomine a profanis compellabantur doctrinæ non nisi subtiliori indagini patentes, vulgo autem veluti occlusæ; in s. scriptura vero veritates religionis ante Christum incognitæ, vel plane captum humanum superantes dicuntur, uti patebit conferenti Rom. 16, 25. 1. Cor. 2, 7. et præcipue Eph. 5, 32. ubi formula εν μυϛηριῳ eundem sensum denotare videtur, quem moderni vocabulo mysticus tribuunt.

**) Alii sensum mysticum definiunt, conceptum, quem res ipsæ literali sensu conceptæ et expressæ, ceu figuræ significativæ exprimunt. Sed manifeste angustior est hæc definitio, quam res ipsa postulat, vel admittit. Nam non rebus tantum per verba significatis, sed et verbis ipsis immediate nonnunquam subjiciuntur notiones religiosæ, quin contextui aut proximo loquentis consilio respondeant.

Hunc sensum, pariterque interpretendi rationem eam, quæ sensum, religiosum quoque, ubique ad principia practica rationis puræ revocat, moralem dicunt, eamque tanti habent, ut literali prorsus præferendam esse statuant, ei non nisi doctrinalis interpretationis authoritatem concedendo, illam vero authenticam declarando. Possemus jam quidem jure nostro uti, et utramque interpretationem tanquam eam declarare, quæ stante veritate principii nostri subsistere nequeat. Sed quum haud infimæ notæ viri sint, qui utramque tueantur, nec prorsus levia sint argumentorum pondera, quibus eam defendunt, haud superfluum esse duco in accuratius eorum examen descendere.

§. 10.

Argumenta, quibus defenditur sensus mysticus et interpretatio moralis.

Qui jam sensum mysticum et interpretationem moralem defendunt, sequentibus potissimum nituntur argumentis:

I. nituntur notione entis infiniti et perfectissimi, cui tanquam authori sacræ scripturæ in acceptis ferendæ sunt. Quum enim illud, (sic argumentantur), pro natura sua infinita, angustiis virium humanarum minime circumscri-

bendum sit, temporis saltem limites nullo modo obstare possunt, quo minus loquens hominibus ea omnia semper mente complexum sit, quæ capit verborum potestas. Nec minus perfectissimæ semper notiones supremæ rationi adscribendæ erunt.

II. nituntur conceptu libri sacri, qui de libris biblicis informandus est, et ex quo nihil non eorum, quæ dicuntur, ad religionem, atque morum sanctitatem promovendam tendat oportet ita, ut propterea, sin minus hoc modo se habeat ex interpretatione literali, mystica adjungenda sit.

III. Exemplo scriptorum N. F., tanquam qui sæpius verbis V. F. longe alium sensum subjecerint, quam qui eis e contextu suo spectatis respondet.

IV. denique nituntur canone Sefs. IV. quo Concilium tridentinum sanxit: S. Scripturam non esse interpretandam contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. mater ecclesia, aut etiam unanimen consensum Patrum. Quum enim Patres non modo singula loca frequenter mystice interpretati sint, sed etiam, veluti ex regula, mysticos sensus sectandos esse declararent, quemadmodum docet, qui unus instar omnium est, Augustini locus Confess. XII.

ϑυ sq. *); ipsa hæc interpretandi ratio mystica per authoritatem Concilii Trid. sancita esse videtur.

§. 11.

Examen argumenti I. a) quoad notione entis infiniti nititur.

Sacram scripturam spiritui divino seu enti infinito in acceptis ferendam esse, minime negamus; at id tamen negamus et pernegamus, inde consequi, omnem potestatem verborum quovis in loco adtendendam esse. Quamdiu enim non demonstratum fuerit, spiritui divino elocutionem quoque et singula verba tanquam authori deberi; vel si hoc etiam concedendum sit; quam-

*) Verba hæc sunt: *Eundemque famulum tuum* (Mosen) *scripturæ hujus dispensatorem spiritu tuo plenum ita honoremus, ut hoc eum, te revelante, eum hæc scriberet, adtendisse credamus, quod in eis maxime et luce veritatis et fruge utilitatis excellit. Ita cum alius dixerit: hoc sensit, quod ego: et alius, imo illud, quod ego; religiosius me arbitror dicere, car non utrumqae potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras literas, vera et diversa visuris, multorum sensibus temperavit?*

diu non demonstratum fuerit, et potuisse et voluisse spiritum divinum, hominibus loquentem, infinita sua natura uti, tamdiu nec concedendum erit, eloquium S. scripturæ aliter quam humanum considerandum tractandumve esse. Atqui id nemo adhuc ita demonstravit, ut certum fieret omnibus.

Quamquam enim Patrum quidam de scriptoribus biblicis nonnunquam ita loquantur, ac si meros amanuenses spiritus divini eos habuissent, vel ceu canales per quos transmitteret ille sermonem suum; in aliis tamen locis ita extenuant inspirationis notionem, ut terminos istos minime proprie, et pro omni eorum vi accipere voluisse palam sit; præterquam quod sint, qui ubique sobrie de hac re locuti sunt, veluti patebit conferenti v. g. Clem. Alex. Cohort. ad gentes p. 68. fin. et ibid. p. 71. cum ejusd. strom. l. VI. p. 761: it. Tertull. Apolog. c. 31. cum ejusd. de cultu fem. c. 3. Denique Orig. De princip. Proœm. ib. l. IV. c. I. Opp. tom. I. p. 156. ed. Ruæi et præcipue Contra Cels. l. VII. p. 334. ed. Spenc.

Sed esto etiam, adeo premendum esse inspirationis vocabulum, haud potuit tamen Deus hominibus loquens infinita sua natura uti. Migrando enim terminos, quibus eloquium humanum adstrictum est, ipse perturbasset pulcherrimum, quem posuit ordinem, quo homo de sensu

loquentis certus fiat, quod tamen, ut a sapientissimo ente factum sit vix concipi potest. Dein quum Deus ubique naturæ rei creatæ, in quam agit, efficaciam suam attemperare soleat, si aliam rationem secutus esset in communicando homini sua consilia, saltem monere debuisset hominem de hac re, ne secus citra culpam suam reliquos præter literalem sensus respueret; et magis adhuc propterea, ne verba divina, quod potest fieri, ad ineptos, ludicros vel plane nefarios sensus detorqueret.

Non voluisse denique Deum hominibus loquentem infinita sua natura uti, manifestissime docet, ipsa sermonis biblici conformatio. Quo pacto enim adeo hinc inde verbosus esset, et fere abundaret, quin potius paucissimis cuncta absolveret, si omnia ubique, quæ capit verborum potestas, pro infinita sua natura complecti voluisset? Quo pacto fieri potuisset, ut, ne dicam de parallelismo membrorum, qui fere per integram scripturam dominatur, ut, inquam, eædem res haud raro ab eodem sæpius scriptore, veluti mandatum ejusque executio totidem pæne verbis describerentur? Si id non, quid aliud indicet, divini eloquii eandem esse rationem ac humani; et proin ex notione entis infiniti, nihil prorsus consequi pro pluribus præter literalem sensibus statuendis.

§. 12.

Continuatur, b) quoad notione entis perfectissimi nititur.

Ad notionem entis perfectissimi non tam patroni sensus mystici, quam defensores interpretationis moralis provocant, ita statuentes: Quum S. scriptura doctrinam revelatam contineat, quæ non potest non perfectissima concipi, quia in deum nulla cadit cognitionis imperfectio: notiones autem religiosæ quæ per interpretationem literalem obtinentur, non semper tales sint, sed rudiori hominum captui accommodatæ, illæ necessario erunt ad principia practica rationis puræ exigendæ, perficiendæque, seu quod idem est, erit in S. scriptura interpretationi literali moralis adjungenda.

Ast primo minime absolute concedendum est, doctrinam revelatam debere semper et ubique perfectissimas notiones præseferre. Potest et solet distingui inter revelationem absolutam et relativam. Absoluta ea dicitur, quæ omni, etiam supremo gradui culturæ, et proin omni ætati et regioni attemperata est; relativa vero ea, quæ certæ tantum ætatis et regionis rationem habet, et in certo gradu culturæ promovendo subsistit. Quo minus jam ejusmodi tenuioribus etiam notionibus acquiescat, non tantum nihil prohibet, sed natura rei fere postulat. Hoc au-

tem tanquam vero posito, quo cum fundamento interpres sublimiores verbis notiones subjiceret, quam quæ respondent gradui culturæ, cui Deus institutionem suam attemperare voluit? Atqui relativam modo revelationem continere libros ss. V. F. inter omnes convenit.

Ast neque N. F. libris interpretatione morali succurrendum erit, siquidem ii vere absolutæ revelationis doctrinam comprehendunt. Quodsi enim Deus revera voluit hominibus per hos libros perfectissimas religionis notiones, quæ cadunt in rationem humanam, communicare, eas sic eloqui debuit, ut etiam per interpretationem literalem patescant. Quis enim secus sibi persuaserit de veritate absolutæ revelationis? An non enim adminiculo hocce interpretationis moralis eadem Corano quoque et similibus libris, dignitas et authoritas posset conciliari? Et cui bono id fieret? Ut ab authoritate ubique suspicienda homines avocentur et rationis dictaminibus obedire atque confidere discant? Id enim velle videntur, qui interpretationem moralem tuentur. At si quod est inconsequens, istud est. Addiscant rationi supremas partes deferre, qui effata ejus nunquam a se ipsis, sed ab aliena semper, et sublimiori quidem authoritate suspendi vident. Qui ista conciliaverit, næ is plus quam Oedipus fuerit.

§. 13.

Examen argumenti II.

Ut liber aliquis sacer habeatur, eoque nomine condecoretur, minime opus est, ut omnia et singula ejus dicta ad religionem proxime pertineant, sed sufficit, si major, si magna pars religiosi argumenti est. Quæ jam vero proxime alio tendunt, quis jubeat, ad sensum religiosum referre? Si placuerit ejusmodi adplicare, ad religionis virtutisque sensum excitandum, acuendum, promovendumque, id non prohibet Hermenevtica. At discriminis gnara quod adplicationem inter et interpretationem intercedit, ea quæ per adplicationem modo ad religionem referuntur, nunquam sensum esse vel dici posse concedit.

§. 14.

Examen argumenti III.

Etiamsi forte concedendum foret, apostolos revera nonnunquam verbis V. F. alium sensum subjecisse, quam qui eis proprie respondet, id tamen sententiam nostram minime everteret, quia exempla quidem probant, quæ fieri possint, non item vero, quæ fieri oporteat; Attamen id ne quidem ita se habere videtur. Non mox enim ille, qui verba alterius usurpat, eundem quoque

sensum profitetur, quem copulavit loquens cum verbis suis; distinguendum enim est inter allegandi, et adplicandi consilium. Is duntaxat qui prius habet, eundem profitetur sensum sequi quem author ipse tenuit, minime vero is, cui alterum obversatur. Quippe nihil obstat, quo minus quis verbis alterius utatur ad suum sensum exprimendum, quemcunque loquens ipse cum eis copulaverit. Quamdiu igitur demonstrari nequit, aut nostros in excitandis V. F. locis ubique habuisse consilium allegandi, aut ibi quoque, ubi id eis obversatum esse negari nequeat, sensum alienum secutos esse, tamdiu nec apostoli, diversum a loco citato sensum sequentes, in contentionem vocari, aut plures sensus commendare voluisse, censeri poterunt.

Sane quidem prius, saltem plerumque, statuendum foret, siquidem formulæ, ut putant, ὅτως επληρωϑῃ το ῥηϑεν, vel τȣτο εγενετο, ἱνα vel ὅπως πληρωϑῃ, vel plane τȣτο δε ὁλον γεγονεν, ἱνα &c. non alium sensum haberent, quam qui eis primo intuitu subesse videtur: nempe *id ipsum evenit*, quod a loquente spectatum fuit. Ast id minime ita se habet. Formula: prophetia impletur: non uno sed pluribus modis usurpatur in S. scriptura, etiam de eventu simili ei, qui prædictus est: Quod egregie jam Maldonatus observavit, dum ait in Comment. in N. T.

ad Mt. 2, 15. הִמָּלֵא, πληρωθηναι „impleri pro-
„phetiam est: fieri quod per prophetam prædictum
„est: phrasi quidem propria scripturarum, sed
„minime, ut quidam putant barbara. Nam et Ci-
„cero implere, quod professus sis, dicit, et pro-
„missa complere, compleri rem ad exitumque per-
„duci. Quæ omnia eodem sensu, quo in ss. lite-
„ris prophetias impleri, manifestum est dici. Di-
„citur autem prophetia, quantum equidem obser-
„vare potui, quatuor modis impleri. Primum,
„quum id ipsum fit, de quo proprie et literali,
„ut dicitur sensu, intelligebatur, sicut 1, 22
„Matthæus dixit, impletam in Maria Isaiæ pro-
„phetiam fuisse: *ecce virgo concipiet et pariet fili-
„um.* Secundo, cum fit non id, de quo proprie
„intelligebatur prophetia, sed id, quod per illud
„significabatur, ut 2 Regg. 7. 14. *Ego ero illi in
„patrem, et ille erit mihi in filium*: quod proprie
„de Salamone dictum esse perspicuum est; divus
„tamen Paulus de Christo, cujus Salomon figura
„erat, interpretatur Hebr. 1, 6. quasi in eo im-
„pletum esset; et quod Ex. 12, 46 dictum est:
„*os non comminues ex eo:* certum est intelligi de
„agno, tamen Johannes 19, 36. in Christo qui
„per agnum significabatur, impletum dicit. *) Ter-

*) Secundus hic modus vel primo vel tertio continetur. Vel enim id quod per res aut personas descriptas significatur, ab authore ipso spectatum fuit, vel

„tio, cum nec id fit, de quo proprie intelligitur „prophetia, nec id, quod per illam significatur, „sed quod illi simile est, et omnino ejusmodi, „ut prophetia non minus apte de eo, quam de „quo dicta est, dici potuisse videatur. Nam, „*populus hic labiis me honorat*: de Judæis, qui „tempore Isaiæ erant, Deus dixerat Jes. 29, 13., „Christus autem in iis, qui suo erant tempore, „impletum significat Mt. 15, 7. sq. Simile est „exemplum Mt. 13, 14 et Act. 28, 26. Quarto „cum id ipsum, quod per prophetiam aut scriptu„ram dictum erat, quamvis jam factum fuerit, „tamen magis ac magis fit. Tunc enim scriptu„ra impleri dicitur i. e. quod per eam dictum „erat, cumulatissime fieri. Observamus enim in „scripturis sæpe fieri dici, non solum quod fieri „incipit, sed quod magis ac magis fit; sicut Joh. „2, 11. dicuntur discipuli Christo, viso miraculo „aquæ in vinum conversæ, credidisse, quia magis „ac magis crediderunt; nam certe ante credide„rant. — Illa ergo prophetia: *Ex Aegypto vo-*

---

non. Si prius, id ipsum fit, de quo literali sensu scriptura intelligebatur, adeoque ad primum modum pertinet; sin alterum, non id fit, quod spectabatur a loquente, sed id, quod illi simile est, adeoque ad tertium, modum pertinet, ita ut nobis tres tantum modi vere diversi relinquantur, quibus formulæ istæ in S. scriptura usurpatæ sunt.

„*cavi filium meum:* proprie de populo Israel, „quem Deus filium primogenitum suum adpella-„re solet Ex. 4, 22 intelligebatur, ut ex verbis „prophetæ manifestum est: *quia puer Israel, et „delexi eum et ex Aegypto vocavi filium meum.* „Dicitur autem nunc impleta secundo et tertio „modo.“

Hunc ipsum usum comprobant quoque plurima Patrum loca. Deum enim v. g. Clemens Alex. ait „futurum, ut illud, quod fide percepimus, per resurrectionem plenius intelligamus, ut illud impleatur, quod dictum est, ut fiat secundum fidem tuam“ quis sibi persuadeat, Clementem putasse, his verbis, quibus Jesus in sanandis ægrotis sæpius utebatur, revera hunc sensum subjectum fuisse, quem ipse eis subdidit? Idem valet de Irenæo, dum adv. Hær. IV. 3. p. 373. ed. Colon. 1566. verba Ex. 2 ad Apocalypseos authorem transfert, dicens: „Johanne vero non sustinente visionem: *et cecidi enim,* inquit, *ad pedes ejus quasi mortuus*: ut fieret, quod scriptum est per prophetas: *nemo videt Deum et vivet.*“ Item de Eus. loco H. E. II. 23. ubi de Jacobo justo a Judæis occiso sermo est, et dicitur: *και επληρωσαν την γραφην, την εν Ἡσαϊᾳ γεγραμμενην,* (nempe 3, 10.) ubi propheta de iis conqueritur, qui viros probos pessime tractarunt, de Jacobo justo autem in specie nec levis-

simum indicium præbet. Adde Sozom. H. E. IV, 3. in quo loco Cyrillus Hierosol. putasse refertur, omnia sua fata a prophetis fuisse præsignificata; denique Assemanni Bibl. Or. T. I. p. 36 ubi narratur: Ephræmum Syrum monitum esse ab angelo his verbis: cave ne in te impleatur quod scriptum est (Hos. 10, 11.) *Ephraim ut vitula, quæ repellit jugum"* quæ verba ad tribum Ephraim pertinuisse nemini non manifestissimum esse debet.

Quæ cum ita sint. neque particulæ ἵνα vel ὅπως quempiam movere poterunt, ut aliter statuat. Possunt enim commode de consilio applicandi, et minime debent de consilio allegandi intelligi; præterquam quod eæ ne quidem semper de consilio, sed etiam de eventu qui nulli consilio respondet, seu ut loqui amant, ἐκβατικῶς usurpentur ad instar hebraici לְמַעַן; quod Chrysostomus ad Joh. 9, 39 et Theophylactus ad Mt. 13, 35 testantur; et loca quædam N. T. veluti Rom. 5, 20 et Mt. 23, 24 sqq. manifestissime demonstrant. At dicat quis: rem hanc, e nostro quidem sensu et usu spectatam, sic posse dijudicari: at anne etiam, si ex sentiendi cogitandique ratione æstimetur, quæ ætate Jesu, apostolorumque obtinuerat? Quum enim non modo gentiles allegoricæ interpretationis ope mythologias suas ad saniorem sensum revocare, sed

etiam Philo, reliquique Judæi Alexandrini ejusdem auxilio plura loca V. F. a cavillationibus philosophorum vindicare, atque ostendere conisi fuerint, omnem sapientiam, qua tantopere gloriarentur Græci, jam libris Mosaicis inesse; denique quum ex Justini dialogo cum Tryphone pateat, Palæstinenses quoque, eidem interpretandi rationi fere ultra omnem modum fuisse deditos, an non illi allegoricum sensum eodem jure gaudere existimaverint, quo gaudet sensus literalis? Hoc autem tanquam vero posito, an non sensum mysticum æque sensum scriptoris habebant, ac sensum literalem? — Audio; at mihi tamen secus videri non diffiteor. Existimare, sensum allegoricum eodem jure cum literali gaudere, atque statuere, sensum allegoricum æque ac literalem a loquente spectatum fuisse, mihi minime eadem esse videntur. Quid enim, si tanta vis probandi sensui mystico ex concessis unice tribuebatur? Dein observo gentilium morem et Alexandrinorum nihil probare pro simili sentiendi cogitandique ratione Palæstinensium, cum constet, Palæstinenses ab illis toto animo et ab omni consortio alienos fuisse; ab horum autem, præcipue a Philonis placitis in pluribus saltem rebus discessisse. Quod vero Justini dialogum attinet, primo observo, Justinum etiamsi e Palæstina oriundum, religione ta-

men non fuisse Judæum, sed Samaritanum, qui non adeo uti Judæi refugerunt a communione cum gentilibus; dein post excidium urbis demum vixisse, quo tempore, vel Palæstinenses quoque Judæi, magis commixti fuerunt cum gentilibus, et fere coacti arctiorem cum iis societatem inire, qua autem facile effectum est, ut quamdam in sentiendi cogitandique ratione mutationem admitterent, a qua antea alienissimi fuerunt. Quo tanquam vero posito ab hoc ævo nulla amplius valet conclusio ad ætatem apostolicam; et eo minus quidem, ac Josephum Flavium, Rabbinos qui in N. T. loquentes inducuntur, imo et Thalmudistas adhuc, ab ista contagione fere immunes fuisse deprehendamus. Josephus enim nonnisi ubi in ritualibus exponendis, in ornatu et adparatu templi describendo &c. versatur, nullibi vero, ubi in textum ipsum, commentatur, sensum mysticum sectatur. Ita Rabbini quoque sive biblici sive Thalmudici citius literam ubique premunt, quam deserunt. Unde jam id ita acciderit, nisi inde, quod Palæstinenses longe alieni fuerint ab ea sentiendi cogitandique ratione, cui dediti erant gentiles, et Judæi Alexandrini? Quid? quod Paulus Eph. 5, 32. vix adjunxisset εν μυϛηριῳ. Si discrimen inter sensum literalem et mysticum nullum esse putasset? Et vel ipse locus Gal. 4, 22. quem quidam in con-

trarium adferunt, haud obscura præsefert indicia, ex quibus patet, Paulum sensum historiæ Gen. 21. subjectum non eundem cum Mosaico, sed ei modo similem habuisse? — Denique nec forte omittenda est observatio, quod exempla hæc petita sint a viris eruditis quibus subtile erat, atque artis exercitatione subactum ingenium; apostoli vero, Paulo excepto, fuerint illiterati. Hinc ergo per formulas istas *) minime cogimur ubique de allegandi consilio cogitare, sed ubicunque contextus nos non cogit, licebit imo necesse erit de adplicandi consilio cogitare, præcipue si sensus loci V. F. e contextu suo spectati adeo manifestus est, ut nemo non, nisi qui obesæ naris fuerit, eum assequi debuerit. Nostros autem scriptores ibi unquam alium sensum secutos esse, ubi contextus flagitat allegandi consilium sumere, veluti dum in demonstrando versantur, quin κατ' ἄνθρωπον argumentatos esse dici queant, vel adhuc manifestius, ubi interpretes agere volunt, mihi saltem ex certo aliquo et liquido exemplo non constat. Psalmum enim XVI., quod fere speciosissimum exemplum est,

*) Ne tertia quidem graviori excepta, quum nihil impediat sumere, eam propter similitudinem majori ingradu obtinentem et veluti ferientem animum ita auctam esse.

quum Petrus ex eo Act. 2, 22 sqq. haud κατ' ανθρωπον argumentetur, prorsus non ad Messiam pertinere, a nemine adhuc extra omne dubium collocatum est. Præprimis autem observatu dignum est, tertiam formulam tribus modo in locis occurrere, nempe Mt. 1, 22. 21, 4. et 26, 56.; et de duobus postremis neminem jam dubitare, quin Matthæus eundem sensum secutus sit, qui verbis citatis in contextu suo respondet, de priori vero idem nuperrime satis probabiliter contendisse Rosenmüllerum in secunda Comentarii sui in Jesaiam editione.

§. 15.

Examen argumenti IV.

Qui decreti *) commemorati formam, ejusque singula adjuncta nonnihil accuratius perpenderit, nil minus sibi persuaserit, quam voluisse

*) Verba decreti hæc sunt „Ad coercenda petulantia ingenia decernit (Ss. Synodus), ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, S. scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Ss. scripturarum; aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam interpretari audeat."

Concilium tridentinum Patrum expositiones ceu normam declarare, a qua nemo catholicorum discedat, et in specie mysticas eorum interpretationes consecrare.

Primo enim negativa formula Concilium utitur, qua uti nec debet, nec solet, qui docere vult, quid fieri oporteat. Dein nulla prorsus mentio fit locorum historicorum, quasi ei, qui de interpretandi norma statuenda cogitat, de eorum interpretatione non pariter interesse deberet? Quid? quod nequidem singulorum locorum dogmaticorum aut moralium interpretationem sancire voluisse videatur. Dum enim ait: in rebus fidei et morum, non tam id voluisse videtur, ut nullus locus, qui unquam a Patribus ad dogma aliquod, vel præceptum morum confirmandum adhibitus est, aliter, quam ab ipsis factum est, explicetur, quam id potius, ne talis fiat totius S. scripturæ interpretatio, quæ dogma aliquod subverteret vel in periculum adduceret; cui vero satisfit, si vel unicum relinquatur dictum probans, vel saltem id non negetur, analogiæ fidei illud consentaneum esse. In hac opinione magis adhuc confirmamur per verba, quæ porro adjunguntur: nempe ne quis S. scripturam interpretetur contra ananimen consensum Patrum; Ejusmodi enim in doctrinis ipsis quidem adest, in interpretatione singulorum locorum autem vix

unquam, nisi ubi locus aliquis adeo manifestus st, ut nemini sano alia ejus interpretatio in mentem venire potuerit, quare concilium fere ludere voluisse censendum foret, si nihilominus de singulorum locorum interpretatione, Patrum expositionibus ceu normæ adstringenda, cogitasset. Præcipue configuntur hac observatione mysticæ interpretationes, ac in quibus, si in literali nonnunquam saltem plures, in his tamen vix unquam duo consentiunt; imo sunt, qui totam hanc interpretandi rationem vehementer improbant, et fere acerbe perstringunt, veluti Hieronymus et Theodorus Mopsvesthenus. *) Denique: Nec ei, qui justas sequitur interpretandi regulas, quas recta ratio dictat, conveni-

* Non tantum enim Tertullianus, Theophilus Alexandrinus, Eustathius aliique non nisi sensum literalem ubique sequuntur, sed Hieronymus disertis verbis sensum mysticum improbat, dum ait: *Abdiam allegorice interpretatus sum cujus historiam nesciebam*: aliosque plures ita sentientes fuisse innuit, dum antehac de quamplurimis adversariis suarum interpretationum mysticarum non modo inter heterodoxos, sed etiam inter orthodoxos conquestus fuit. Adhuc acerbius mysticos interpretes perstringit Theodorus Mopsvesthenus Comment. in Pss. et 12 prophetas minores dicens „*qui hæc* (scil. adjuncta historica) *considerare nolunt*, *omnia verba ad Christum trahere conantur*, *ut quæ populo &c. con-*

rent verba : ad coërcenda *petulantia* ingenia : *suæ prudentiæ* innixus : sacram scripturam *ad suos sensus contorquens.* E contra autem hæc egregie conveniunt eis, qui Patres ne quidem qua testes traditionis suscipere volunt, sed in doctrina quoque S. scripturam ita interpretantur, ut ad hypotheses noviter excogitatas, et ad opiniones suas præconceptas eam detorqueant, quod Protestantes revera fecisse ex historia Conc. Trid. a Sarpio descripta Vol. II. p. 194. sqq. versionis theodiscæ intelligimus. Etenim quid Jesus et Apostoli docuerint, manifeste quæstio facti est, quæ proin testibus fide dignis niti debet. Quis autem Patres ne tum quidem vellet ceu tales suspicere, ubi unanimiter consentiunt? — Voluit igitur Concilium Trid. canonem disciplinarem, quo obviam iret petulantiæ, minime autem interpretationis normam statuere, aut eum restringere, qui justas interpretandi regulas a ratione ipsa scriptas sequi conatur. *)

---

tigerunt de Christo intelligant, Judæisque ludibrium præbeant, ostendentibus ex verborum consequentia, nihil eorum ad Christum pertinere. Cf. porro Syn. V. Constantinop. coll. 4. testim. 20,, 23 ap. Wetst. ad Mt. 1, 22. et Cosmam Indicoplevsten in Coment. crit. D. Paulus. P. I. p. 130. ed. 2dæ

*) Interim tamen his minime prohibetur orator sacer cum pericopa aliqua, moraliter sterili, per interpretationem allegoricam synthetice sensum mysti-

§. 16.

Quid censendum sit de distinctione sensus objectivi et subjectivi?

Ad prophetas ab erroris suspicione liberandos, dum verba revelantis Dei nonnunquam ad angustiorem sensum restringere videantur ac eis revera respondet, invenerunt distinctionem inter sensum objectivum et subjectivum; objectivum eum dicentes, qui verbis revelantis Dei revera, subjectivum autem eum, qui eis ex mente prophetæ respondet.

At ut nihil dicam parum logicam esse hanc distinctionem nec usui loquendi consentaneam, quum sensus objectivus et subjectivus non sit eorundem verborum sensus; et usus loquendi quidem ferat distinctionem interpretationis ob- et subjectivæ, non item vero sensus, qui semper est aliquid subjectivi; parum vel nihil potius

eum copulare, quo materiam obtineat in usus sacros convertendam. Si enim propter æstheticum finem licet verbis alterius alium sensum subjicere, ac quem loquens spectavit, cur id minus licitum sit propter finem homileticum? Ast cavendum tamen ei erit, ne auditores in opinionem deducat, ac si accomodatitius ejusmodi sensus ab authore ipso fuisset spectatus. Quod qua ratione impediat, institutio pastoralis doceat oportet.

prophetas hac distinctione juvari observo, cum ea effici nequeat, ut sensus verbornm divinorum, quem propheta assecutus est, menti loquentis Dei consentaneus esse credatur. Sed nescio qua de causa hac distinctione adjuventur, quum ipsi defendi non cupiant, sed multoties disertis verbis fateantur, se non assecutos esse, quæ sibi revelata sunt, nec negent idem alias quoque contigisse, ubi id ipsum disertis verbis non commemorant. Cumque demum hœc distinctio incautis facile ansam præbeat opinandi, stabiliri per eam duplicem eorundem verborum sensum, prorsus repudianda esse videtur.

§. 17.

De lumine interno.

Aliud sensus inveniendi principium proposuerunt Quakeriani et Pietistæ, quod vero quum sobrio nemini arridere possit, paucis expediemus. Statuebant nimirum, quemlibet hominem intus in animo immediate a Deo edoceri de vero sensu sacræ scripturæ, hanceque institutionem divinam lumen internum vocant, quo tamquam vero posito nullo amplius studio biblico opus foret. Verum enim vero assertio hæc prætorquam quod non nisi sinistra quorumdam locorum S. scripturæ interpretatione nitatur, experientiæ contraria, atque ea est, quæ fanaticis

erroribus latissimam portam aperiat. Sic in loco 1. Joh. 2, 20. 27. quo præcipue nituntur, χρισμα quidem denotat institutionem divinam, sed non eam, qua immediate fruitus esset quilibet Christianus, sed eam modo, quæ proxime contigit apostolis, ab iisque demum mediate ad Christianos reliquos derivata est. Id obscurum esse nequit ulli, substratam materiam, oppositionis rationem et temporis adjuncta nonnihil accuratius perpendenti. Dein Pietistæ non magis consentiunt quam alii in singulorum locorum interpretatione, quod tamen secus esse deberet, siquidem revera a Deo edocerentur, quum numen divinum non dissensionis et discordiæ, sed unitatis et consensionis est author. Quantopere denique hæc sententia idonea esset incendendæ phantasiæ, et fovendis pessimis, qui inde enasci solent, erroribus, suapte pronum est intelligere.

§. 18.

Norma, ad quam conformata sit sensus repræsentatio sive explicatio.

Hucusque proposuimus principium, a quo pendeat veri sensus cognitio, illudque etiam in S. scripturæ interpretatione unice sequendum esse demonstravimus. Sed cum Hermenevetica non tantum debeat docere, qua ratione sensus sit inveniendus, sed etiam, qua ratione aliis sit repræsentandus

sive explicandus, proponenda quoque erit suprema aliqua regula, ad quam dirigatur sensus repræsentatio sive explicatio. Ea autem manifeste erit repetenda tum ex fine, in quem suscipitur sensus repræsentatio, tum ex ipsa rei natura. Finis jam vero alius non est, quam ut per eam adjuvetur lector vel auditor in assequendo sensu loquentis, quo perspicue eum cognoscat. Natura rei vicissim postulat, ut non aliæ orationi sententiæ, nec plures, nec pauciores, nec tenuiores, nec perfectiores verbis notiones subjiciantur, quam quas ipse author eis subjecit. Imo nec forma orationis erit insuper habenda. Volumus enim non modo sensum loquentis assequi, sed ipsum quasi loquentem audire atque percipere. Atqui recte orationis formæ subtilissimæ impressæ hærent notæ, ex quibus cognosci potest, quæ fuerit peculiaris loquentis animi indoles, quæ patria, quæ ætas, simulque dictorum vis major aut minor ita in ea residet, ut ea neglecta vel immutata periculum foret, ne sensus ipse adficeretur, et vel augeretur, vel diminueretur. Quamobrem ut omnibus numeris absoluta sit sensus repræsentatio, tum summa qua fieri potest perspicuitate, tum fide, et quidem tum quoad materiam, tum quoad orationis formam, niteat oportet.

§. 19.

Hermenevticæ biblicæ gravitas atque utilitas.

Etiamsi negari nequeat, etiam sine distincta regularum, atque systematica cognitione fieri posse, ut sensus loquentis sæpius felicissime inveniatur, fuisseque, uti in omni arte atque disciplina, qui ante omnem inventam theoriam hermenevticam egregie versati sunt in interpretandis auctoribus; subtilis tamen adeo Veri sensus haud in permultis viget; præterea vel ab ejusmodi nunquam penitus abest erroris periculum, quod eo majus est, ac implicatior est locus aliquis vel liber; denique si quæ controversiæ ortæ sint de S. S. literis, eæ sine certis solidisque regulis admotis, nunquam dirimebantur. — Quum jam S. scriptura credendorum, observandorumque norma sit; ast vicissim lingua perscripta, a nostra diversissima; stilo concepta, minime ad sermonis ακριβειαν composito, lectoribusque destinata, aliunde jam sive ex proprio usu, sive viva aliorum voce uberius institutis; quum denique de facto constet vix ullum graviorem locum esse, qui non diversissimis interpretum explicationibus sit distractus, atque in contrarias pæne partes agitatus: Quis non agnoscat gravitatem, utilitatemque legum solidarum, atque præceptorum, quæ viam certam monstrent

divinum eloquium rite interpretandi, atque omnem errorem evitandi?

§. 20.

Succincta historiæ Hermenevtices biblicæ delineatio.

Hermenevticæ disciplinæ, utut summa sit ejus utilitas, atque gravitas, non modo admodum tenuia erant initia, sed et, si disciplinæ formam respexeris, ad recentissima demum tempora pertinent. Primis duobus a Christo nato sæculis nemo fuit, qui de interpretatione sive universa sive biblica certis præceptis regenda cogitasset. Neque Origenes, utut cæteroquin de studio biblico satis bene meritus, et in genere observasset, grammaticum, ast non unice, sed præterea moralem quoque et mysticum sensum esse sequendum, ad singulas regulas scribendas animum adplicuit. At Tichonius Sæc. IV. Donatista in Africa septem regulas scripsit interpreti biblico, quas Augustinus L. III. c. 30 de doctr. Christ. non modo complexus est, sed et emendatiores reddidit. Sed vel sic verius observationes magis quam regulas dixeris, quum ad singulas modo dictiones vel phrases biblicas pertineant, et quæ propius accedunt ad regulas, sensum mysticum invenire doceant. — Neque ta-

men ulterius progressi sunt Adrianus sæc. V. qui Isagogen S. S. literarum edidit, Cassiodorus, cui institutiones ad divinas lectiones debemus, et Junilius Africanus sæc. VI. qui duos libros de partibus literarum sacrarum scripsit, hisque operibus suis regulas hermenevticas inseruerunt, sed omnes fere mystici generis, licet in refutando hoc sensu, commendandoque historico in Hieronymo et Theodoro Mopsvestheno (cf. §. 15.) egregios antesignanos habuissent, simulque egregia interpretationis literalis specimina vidissent.

Sæculis subsequis penitus neglecta jacuit hæc provincia; immo ne quidem proprii conatus exegetici suscepti fuerunt, sed antiquiorum unice vestigiis terendis acquiescentes, Scholia, et glossas collegerunt catenasque confecerunt, satis adhuc felices, quod in præstantiores fere interpretes veluti Origenem, Chrysostomum, Theodorum Mopsvesthenum, Isidorum Pelusiotam, Augustinum, Hieronymumque inciderint. Quippe enascentes continuo hæreses omne studium ad polemicam converterant, et ingruentes dein Vandalorum, Gothorum, aliorumque rudium populorum incursiones omnimodam fere cultiori orbi barbariem induxerunt, ita ut describendis Codicibus, et triviis, quadriviisque omnis literatura absolveretur.

Sæculo XII. reviviscebat quidem studium

philosophiæ; at adeo tenue, quod scientiis practicis, ad quas merito etiam Hermenevticam retuleris excolendis, prorsus non idoneum erat, utpote inanibus subtilitatibus, veluti disputatione de conceptuum realitate, fere unice occupatum. Præterea tum magister sententiarum plus valebat, quam S. scriptura; et Petrus Lombardus citius ac veluti de regula consulebatur, Jesu apostolorumque vero dicta veluti per transennam modo adferebantur.

Hunc torporem ab eruditis excutere, studium biblicum novis stimulis excitare, et mysticis ascetisque, ad quos illud fere unice restrictum erat, obviam ire, egregie conati sunt Nicolaus de Lira, et Paulus Burgensis, qui sæc. XIV. floruerunt. Edidit ille Postillas, alter annotationes ad eas, quæ exhibent eos ceu viros Græcæ non modo sed et hebraicæ linguæ peritos; et sensus literalis sectatores, fere deserto mystico. Morus enim, gravis testis, de prioris Postilla ait (in acroasibus super Herm. N. T. ab Eichstadio editis Tom. II. p. 276.) „In ejus libro mul„ta sunt bona; nam vir ille non tantum græce „sciebat, sed et hebraice. Quæ utriusque linguæ „peritia effecit, ut sensum grammaticum et hi„storicum præponeret, fere deserto allegorico.“ De alterius vero annotationibus ibidem „in qui„bus illum refutat, sæpe feliciter et non sine

„fructu. Nam is quoque peritus fuit linguæ he„braicæ et græcæ, fortassis adeo in iis, quœ ad „N. T. pertinent, Lirano præferendus." At mysticismus altiores radices egerat, profundiusque monachorum ascetarumque animis insederat, quam ut voces istæ sobriæ atque modestæ audirentur, latiusque penetrarent. Melior tandem lux interpretationi biblicæ, ejusque theoriæ affulgere cæpit circa tempora sic dictæ reformationis. Non modo tum præclare edi cœperunt utriusque Fœd. textus originales, qua re studium criticum excitatum est, sed etiam præstantes interpretes exsurrexerunt. Antonius Nebrissa adhuc ante Lutherum adeo egregiam confecit S. scripturæ versionem, quæ cum hujus viri versione fere de prærogativa contendat; postea Erasmus judice Ernestio tam præclaras N. T. adjecit annotationes, quæ viam interpretandi patefecerunt, et in quarum velut fundamentis omnes, qui post fuere boni interpretes, ædificavere. Quodsi nihilominus catholici tardius, quam Protestantes ad colendam disciplinam hermenevticam assurrexere, id minime mirum est. Catholicorum quippe studia per repudiatam a Reformatoribus traditionis authoritatem ad ejus unice defensionem conversa sunt, e contra autem ipsi, S. scripturam ceu unicam regulam agnoscentes, cogebantur fere ejus studium toto animo, omnibusque viribus amplecti.

Signum inter eos sustulit Matthias Flacius, qui vir, omnis generis eruditione insignis, clavim S. scripturæ edidit Basil. 1567, præclaris quoad genus dicendi biblicum observationibus, veluti de agnoscendis, tractandisque Hebraismis, de tropis et schematis perpetuis &c. refertam, atque aptiori ordine dispositam. Hunc deinceps longa serie secuti sunt permulti, quos tamen, quum vix aut parum modo ultra ipsum progressi sint, haud operæ pretium est singillatim recensere. Cf. de iis Rosenmülleri Hdb. für die Literatur d. bibl. Kritik u. Exegese Vol. IV. p. 23. sqq. it. Keilii Elementa Hermenevtices N. T. p. 5. sq. d.) Præclaram tamen exceptionem merentur Sal. Glassius et Joh. Alphonsus Turretinus, quorum prior observationes ad usum loquendi pertinentes egregie auxit in Philologia S., (quæ Jenæ 1623. 4. primum in lucem prodiit, nuper autem penitus fere est immutata nostrisque temporibus accommodata a Joh. Aug. Dathio Lips. T. I. 1776 — continuata et in novi plane operis formam redacta a Georg. Ludov. Bauero Tom. II. Sect. prior. critica S. ibid. 1795. Sect. II. Hermenevtica S. V. T. 1797.): alter Pietistarum lumini interno et emphasium veluti venatoribus egregie obviam ivit, in Tractatu bip. de S. script. interpretandæ methodo, primum Dordraci 1728 edito, serius auctius repetito per Guil. Abr. Teller. Frcft. ad Viadr. 1776.

Systematis formam magis promovere studuit Christophorus Wolle, (cf. Keilii elem. p. 7. sq. (g) ad principia philosophiæ Wolfianæ hermenevticas regulas reducere, atque ex iis digerere conatus. Sed vel hoc ipso disciplinæ huic parum profuit. Quum enim regulæ interpretandi non tam a priori constituendæ, quam empiricis observationibus superstruendæ sint, hic hujus philosophiæ usus, potius abusus fuit. Quæ inde dimanarunt vitia, aliaque, quæ prioribus institutionibus hermenevticis adhæserunt, egregio in lumine collocavit Daniel Wyttenbachius in præfatione ad Elementa Hermenevticæ sacræ, eo quo in scientiis fieri debet, modo proposita, Marburgi 1760, quæ cæteroquin etiam præceptorum ἀκρίβεια, salubritate et ordine adeo distinguuntur, ut nisi hoc adhuc cum antesignanis vitium commune haberent, ut propter inspirationis conceptum plures adhuc sensus admittant, et sic mysticis interpretationibus modum ponere nesciant, facile novam epocham ab iis ordiremur. Sic vero rectius hic locus honosque Ernestio conceditur, qui in sua interpretis sacri institutione, quæ primam lucem adspexit Lipsiæ 1767, perspicue docendo præter sensum literalem, i. e. eum, qui verbis e contextu spectatis respondet, nullum alium admittendum esse, mysticos sensus fere penitus profligavit. Præclarum

istud opus, quod præter eas virtutes quas in elementis Wyttenbachianis celebravimus, singulari dicendi tum perspicuitate tum concinnitate nitet, non modo mox atque comparuit, a Protestantibus susceptum, pluribus editionibus, veluti quinque jam ab Ammonio, repetitum, exemplis atque commentariis illustratum novisque observationibus auctum, sed etiam a catholicis laudabiliter in suos usus conversum est; inter quos eminent Sebastianus Seemiller, cujus Hermenevtica Sacra prodiit Augustæ Vindelic. 1779., Christophorus Fischer, cujus institutiones hermenevticæ N. T. prodierunt Strasb. 1788, et Gregorius Mayer, cujus institutio interpretis sacri Vindobonæ ap. Wappler. 1789. non minorem laudem, quam ejus versio et commentatio in ep. ad Gal. et 2. ad Thes. ibid. 1788 vel apud exteros consecuta est, cf. Eichh. Bibl. Vol. V. p. 1000 sqq. Utut vero maxime egregius sit Ernestii interpres, vitio tamen ei non immerito verti videtur, tum quod ea adjungat, quæ rectius in Introductione tractantur, tum quod culturæ loquentis parem rationem cum usu loquendi et orationis serie habendam esse, non distincte præceperit, licet haud negem, hujus quoque legis necessitatem eum obscuro quodam sensu percepisse, et hinc inde, veluti P. I. Sect. I. c. I. §. 13. sq. Sect. II. c. II. §. 15. sq. Sect. III. 33. sqq. subindicasse. De

hac re jam primus disertius monuit interpretes Moshemius in institutione sua historiæ Christianæ majori Sect. I. p. 134. ubi ita præclare edisserit. „Si quæ studiorum rationes inter populos „Orientis, præsertim in Asia et Aegypto, floruerint, cum ad nos descenderet filius Dei, monumentis exploratum hodie esset, minime indubiis, magna uteremur luce ad libros divinos „melius intelligendos, ad vim veterum formularum, et dogmatum Christianorum rationes reddendas, ad scita denique eorum explicanda, „qui rei Christianæ initia fœdis erroribus contaminarunt.“ Wetstenius postea satis copiosa materialia congessit, quibus nitatur historica N. T. interpretatio, et Semlerus pro amplissima, qua imbutus erat, historiæ dogmatum cognitione, eam non modo sæpius feliciter adhibuit in paraphrasibus suis ad illustrandum N. T., sed peculiaribus quoque legibus hinc inde munivit in adparatu suo ad liberalem N. T. interpretationem Halæ 1767 et in præparatione ad Hermeneuticam theologicam, quæ Halæ anno 1760 edi cœpta, et anno 1769 ibidem finita est. Sed partim institutio historiæ Christianæ non immediate ad interpretes S. scripturæ pertinere videbatur, partim Semlerus audacior erat, quam ut modestiores eum mox sequi auderent. — Ne autem diutius delitescerent, negligerenturve saluberrima hæc mo-

nita effecit demum Eichhornius, perspicuitate dicendi, et persuadendi arte magistro suo multum commendatior, dum non modo in censendis interpretum commentariis interpretatione historica tanquam canone usus est, sed etiam jam anno 1792 peculiarem tractatiunculam exaravit, qua necessitatem ejus vindicatum ivit, eamque ad dignitatem principii hermenevtici elevavit in Vol. IV. Bibl. Or. et Bibl.

Ut idem repetitis vicibus ageret in Vol. VI. p. 55. sqq., provocavit ipsum perversa ratio, ad quam interpretandi causa jamjam deflecti cœpisset per librum: Religion innerhalb der Gränzen der bloſsen Vernunft: qui scripturæ S. interpretationem ad principia practica rationis puræ rediendam esse præcepit, huicque interpretationi morali primatum adserit, eam unice authenticam, literalem e contra non sine despectu mere doctrinalem adpellans. Præter Eichhornium insurrexerunt contra eam et alii viri cordati, inter quos eminent Rosenmüllerus in Abhandlung über einige Aeuſserungen des Hrn. Prof. Kant's die Auslegung der Bibel betreffend, quam subjunxit libello: Einige Bemerkungen das Studium der Theologie betreffend, Erlangen b. Palm. 1794. Φιλαληθης, 'Εριδαιρων (Hebenstreit), qui Observationes scripsit ad moralem seu practicam LL. SS. interpretationem Lips. 1796 et Noesseltus in Diss.

quæ inscribitur: Animadversiones in sensum librorum Ss. moralem, quæ est X. in ejusd. exercitationibus ad Ss. scripturarum interpretationem, editis Halæ 1803. Licet vero hi viri victricibus adeo armis eam depugnasse viderentur, ut neminem amplius imposterum ejus patrocinium suscepturum esse crederes; nihilominus tamen denuo suscepit C. F. Stæudlinus in Prolusione de interpretatione librorum N. T. historica non unice vera Gött. 1807. Sed, quæ sunt verba Keilii, „quæ hic adversus hanc LL. N. T. interpretationem monuit, partim ex errore fluxisse, „partim ejus generis esse videntur, ut magis favorem, quam invidiam ei conciliare possint."

Post generalem ejus delineationem, quam dedit Keilius in commentatione de hist. LL. SS. interpretatione, ejusque necessitate Lips: 1788., Bretschneider in libello: Ueber die historisch-dogmatische Auslegung des N. T. Lips. 1806 principium ejus uberius deduxit, omni ex parte quoad N. T. illustravit, fontes censuit, eorumque usum saluberrimis præceptis atque cautelis necessariis munivit. — Totum sensus inveniendi principium complexus est Plankius in sua in disciplinas theologicas introductione; et recentissime mox commemoratus Keilius integram institutionem hermenevticam ex principio grammatico-historicæ interpretationis adornatam prodire fe-

cit Lips. 1810. Ast nondum tamen omnem apicem attigisse videtur Keilius. Haud enim probandum esse videtur, quod eum tractandarum rerum ordinem secutus sit, qui magis eorum rationem habet, quæ interpretis opera indigent, quam legum hermenevticarum, ex quibus explicatio petenda est. Inde accidisse videtur quod non tantum hermenevticarum rationum sive regularum provincia, vis aut limites nullibi accuratius describerentur, sed neque systematis forma satis perfecta prodierit. Forte ex eadem causa derivandum est, quod quæstionem de accommodatione quæ tamen ab hermenevtica institutione vix abesse potest, nullibi ex professo tractarit. Denique perperam mihi objectivum dictorum examen ad interpretis qua talis provinciam referre videtur. Hisce defectibus forte occurret Eichstadius, si promissis steterit non modo edendi tertiam partem aeroasium Mori super Herm. N. T. sed etiam deserto acroasium ordine vel potius neglectis omnibus, quæ ad Hermenevticam non pertinent, peculiare opus emittendi.

Inde a quo interpretatio historica ad debitam dignitatem evecta est, simul cœpti sunt fontes, e quibus sentiendi, cogitandique ratio ætatis biblicæ cognoscenda est, diligentius investigari aut novo saltem examini subduci. Id

factum est in symbolis ad promovendum usum rationis in rebus ad religionem pertinentibus, editis a Corrodi; a Storrio in diss. de sensu historico S. scripturæ; ab Hornio in opere, nondum tamen completo: de Gnosi biblica; a Bretfchneider in libello mox laudato, a Süsskindio in variis tractationibus, quæ continentur in Flatts Magazin für christl. Dogmatik u. Moral, aliisque. Sed nondum tamen vel ex hac parte confecta res est. Plura adhuc invenienda restant, et alia severiori adhuc crisi indigent, ut usus eorum satis certus sit. Altera Hermenevticæ pars, quæ circa repræsentationem sensus versatur fere diutius adhuc, quam prior neglecta fuit. Licet enim de versionibus biblicis adornandis, hinc inde in Hieronymi operibus, dum vitia antiquæ versionis latinæ carpit, observationes de hac re non contemnendæ occurrant, ea tamen tum demum præcipue agitari cœpit, quum Erasmus et postea Castalio meliores versiones latinas e textu originali conficere suscepissent, contraque eos Stunica, Lei et Beza insurrexissent. Hac nimirum controversiarum occasione plures regulæ propositæ fuerunt, quæ vertendi laborem dirigerent, quasque Wyttenbachius primus cum elementis suis Hermenevticis conjunxit, Ernestius novis præceptionibus auxit, simulque de paraphrasibus et commentariis con-

dendis præcepit. Griesbachius postea egregiam tractationem de versionibus, præcipue theodisce scribendis inseri curavit Parti VI. Repertorii literaturæ biblicæ et Orientalis. Nec minus egregie de hac re disseruit Reichhardus in tractatu grammatico theologico de adornanda N. T. versione Lips. 1796. quos vero adhuc superasse videntur Henslerus in excursu, quem desuper vernaculæ versioni ep. Jacobi adpendicis instar adjecit, et Hetzelius in præfatione ad versionem germanicam N. T.; quem utrumque etiam secutus est Keilius.

§. 21.

Divisio Hermenevtices.

Hermenevtica sponte sua in duas partes dividitur; nempe primam de sensu rite inveniendo; alteram de sensu invento rite repræsentando seu explicando. Prior iterum in tres sectiones subdividi potest, quarum prima tractat de sensu inveniendo per usum loquendi; altera de inveniendo sensu per consilium et nexum orationis; quam alii cum priori in unam contrahunt, logicum hoc orationis examen, ceu partem integrantem examinis grammatici habentes; tertia denique de inveniendo sensu per culturam loquentis. Secunda pars e contra divisione in sectiones prorsus carere potest, quia,

quæ de diversis sensum repræsentandi formis dicenda sunt, paucis absolvi possunt.

Hermenevticæ biblicæ Partis I. Sectio I.

De inveniendo sensu per usum loquendi.

Cap. I. De usu loquendi in genere, ejusque certa cognitione comparanda.

§. 22.

Quis vel qualis sit nexus voces inter et significationes.

Omnis certitudo et veritas hermenevtica demum pendet a firmo et constanti nexu, qui voces inter et significationes obtinet, quia voces sunt signa cogitationum, sine quibus nulla, adeoque nec certa cognitio obtineri potest eorum, quæ loquens cogitavit, si nexus iste inconstans atque incertus est. Hinc ergo nil prius, nil magis investigandum est, quam quis sit et qualis nexus, qui inter voces et significationes intercedit.

§. 23.

Non est quidem absolute.

Inest quidem cuivis homini a natura insitus nisus signum significandæ rei adeo attemperandi, ut si fieri possit, perceptionem, quæ in-

de in animo enascitur, et sic mediate rem ipsam, exactissime repræsentet. Nec minus per indolem rationis suæ homo veluti cogitur, in nectendis pluribus uni voci significatibus similitudinis rationem habere, eodemque modo similes conceptus, similes relationes et modos similibus formis exprimere, ita ut haud temerarium opineris, significationem, quæ cum alia similitudinem referat, cum ea in una eademque voce coaluisse, aut ubi similitudo formarum, aut structuræ intercedit; similem quoque notionem, aut sententiarum relationem vel modum obtinere. Ast quum soni, eorumque per articulos inflexio ad summum naturalem quemdam nexum habeant cum certis animi sive exaltatioris sive pacatioris motibus indicandis, iisque rebus, ac respondentibus eis repræsentationibus, quæ sonum quemdam edunt, ejusque imitatione designari et possunt et solent; maxima vero pars linquæ ad eam: quam dicunt, discursivam cognitionem pertineat, quæ per reflexionem *ab arbitrio* pendentem paratur; imo quum ipsa illa sonorum a rebus editorum imitatio libertatis aliquem usum involvat, et pro organorum sentiendi, vocisque, ac proin etiam pro cœli victusque varia ratione maxime diversa esse debeat; quum porro similitudinis ratio, quam homo in nectendis pluribus uni voci notionibus, et certis vocabu-

lorum formis cum certis conceptibus sententiarumque relationibus et modis observat, pro varia parte, ex qua res eadem spectari potest, et a diversis revera spectari solet, maxime multiplex esse possit; minime necessitate quadam naturæ factum cogitari potest, ut certus quidam sonus certoque modo per articulos inflexus cum certa quadam notione, aut plures notiones uni voci necterentur, sed eodem modo cum illo se habere statuendum erit ac se habet cum illo nexu qui obtinet in signis, quæ honoris et præmii condecorationes statuta sunt, aut etiam certam metalli massam, ejusque certum valorem, qui certe arbitrarius habendus est. Atque si jam negari nequit, arbitrio locum fuisse in ejusmodi nexu inveniendo, multo magis ab arbitrio pendebat, ut idem nexus a pluribus simul probaretur, quod fieri tamen necesse erat, si inter eos commercium cogitationum obtineret. A mutuo consensu igitur pendebat, quis nexus revera iniretur, et propter hunc libertatis actum vocabula recte definiuntur signa arbitraria cogitationum.

§. 24.

Sed hypothetice tamen necessarius.

Actu autem semel initus nexus inter certam vocem et certam significationem, aut plurium no-

tionum cum uno vocabulo, ex eadem causa firmiter et constanter erat servandus, ex qua in inventum ab aliquo ejusmodi nexum ab initio concedendum erat; quia quocunque demum tempore, libertate sua homines abusi, ab eo iterum discessissent, hoc ipso cogitationum commercium sublatum, certe suspensum fuisset. Quantopere igitur homines volebant, istud esse continuum atque perpetuum, tantopere quoque erat necessarium, ut initum semel nexum, sive unius sive plurium significationum cum certa voce, nunquam amplius desererent.

§. 25.

Huic non derogant mutationes quas in linguis accidisse experientia docet.

Ast inquiunt, ratiocinio huic experientia non penitus suffragatur. Ea enim nobis exhibet varii generis mutationes quæ in nulla non lingua per decursum temporis acciderunt et quæ proin constantiam istam, qua nitimur, non semper observatam fuisse, facto demonstrant.

Attamen si mutationes istas, ad quas provocant, nonnihil accuratius perlustraverimus, adparebit, eas vel prorsus non ad nos pertinere, vel nullam saltem inconstantiam aut incertitudinem istius nexus inducere. Præcipuæ enim sunt sequentes: a) factæ sunt progressiones notionum

vel notitiarum in melius, manente tamen eadem specifica vocis notione b) accessere nova vocabula, vel significatus novi ad pristina vocabula veluti præter communem, technicus, civilis aut religiosus &c. c) obliterati sunt significatus pristini, aut diminuta est vel prorsus periit eorum vis. d) denique vocabula μεσα postea bono vel malo solum sensu usurpata sunt. — Quod jam attinet prioris generis mutationes, a) eæ prorsus non huc pertinent. Quamdiu enim eadem manet specifica notio cum certa voce connexa, tamdiu dici nequit factam esse nexus istius mutationem. Quæ progressiones factæ sunt in ejusdem notionis perfectiori cognitione, non inde, sed ex historia culturæ humani ingenii addiscendæ sunt. b) Accessione novorum vocabulorum aut novarum significationum, in pristino nexu nil mutatum esse sua sponte intelligitur. c) Si obliteratus est aliquis significatus, aut diminuta est ejus vis, ignoratio quidem, sed nulla tamen incertitudo inducitur. Dein diminutio primigeniæ vis adeo in natura rei ipsa sita est, ut ubi aliter evenisset, peculiariter demonstrandum foret. Denique haud ea sicubi ita periit, ut quantum ad vim dictorum percipiendam attinet, non vel ex integra orationis forma aut ex contextu intelligatur, sicque ejus jactura saltem compensetur. d) Ultimi demum generis mutationem eam esse, quæ

constantiam nexus nostri adficiat, non negandum est; at ea tamen simul adeo raro contigit, ut veluti exceptio regulam potius firmet, quam labefactet aut prorsus infringat. Dein ejusmodi mutatio non nisi post longissimum temporis intervallum, nec ita clam accidit, ut non expresse de ea re moneremur, itaque temporis modo ratio habenda sit, ut omne erroris periculum evitetur. Denique ejusmodi mutatio haud unquam extitit sine rei ipsius mutatione, ita ut non tam mutationem nexus inter vocem et significatum initi, quam mutationem rei ipsius factam esse dicendum, et proin magis ex rerum ipsarum, vicissitudinumque, quas passæ sunt, historia, quam ex lingua ipsa addiscenda sit. Hæc enim semper cum linguæ studio conjungi debet, quia voces non tam rem ipsam, quam ejus unice perceptionem designant, et possunt commode eædem manere, quamdiu res non in substantia, sed in accidentiis modo immutatur. Quæ cum ita sint, tantum abest, ut experientia contraria sit ratiocinio, ut potius ceu constantiæ nexus vocabulorum et significatuum testem adpellare liceat.

§. 26.

Nexus hic dicitur usus loquendi isque suprema est interpretis lex.

Quum nexus hujus firmitas sita sit in continua atque constanti ejusdem actus repetitione,

seu quod idem est, in eadem semper dictionum consuetudine, solenne factum est hunc nexum usum loquendi adpellare; qui quum ita comparatus est, ut quadam necessitate contineatur, non potest non rite cognitus certam simul significationum notitiam præbere. Qui igitur neglecto usu, vel plane contra usum etymologiam vel analogiam linguæ sequeretur, is manifeste contra logicam probabilium peccaret. Etymologia enim, quæ est investigatio primigeniæ significationis ex elementorum linguæ potestate vel secundariæ significationis ex similitudinis nexu cum primigenia, hæc inquam modo possibilem inducit significatus cognitionem, quum elementa linguæ, si quem habeant naturalem significatum, non nisi certum quemdam animi motum sive magis sive minus impeditum designent, et plurium plerumque elementorum potestas peraffinis sit, ut quod præ cæteris seligi debuerit, definiri nequeat, eodemque modo similitudinis ratio maxime multiplex esse possit pro varietate partium, ex quibus objecta possunt spectari. Analogia vero, quæ pro majori vel minori similium formarum eadem potestate venientium numero significationem similis formæ vel formulæ definit, probabilem quidem cognitionem inducit, eoque quidem probabiliorem, quo major est similium formarum cum certo conceptu nexarum numerus; at mini-

me tamen certam efficit; quia exceptiones vix unquam abesse solent. Quodsi jam non licet sequi probabilem sententiam præ certa, nedum mere possibilem, nunquam explicatio valere poterit contra aut præter usum loquendi suscepta, ubicunque is penitus cognitus habetur. Et quum indagatio significationis semper primum esse oporteat interpretis negotium, usus loquendi ceu suprema interpretandi lex suspiciendus erit.

§. 27.

Etymologiæ et Analogiæ linguæ non nisi subsidiarius usus competit.

Interim sicut cujusvis facti veritas mirifice confirmari censetur, si ad testimonia internæ quoque probabilitatis notæ accedant; ita significatio quoque, quæ per usum loquendi cognoscitur, nonnihil roboris, lucis certe plurimum obtinebit, si etymologiæ et analogiæ linguæ, vel linguarum congruere intelligitur. Id quod præcipue tum non spernendum est, si abnormis construendi ratio sicubi occurrit, quæ de veritate significationis dubium movere possit, quod vero mox concidit, quamprimum ex cognita significatione prima ea deduci illustrarique posse intelligitur, veluti se habet in מצא Syr. מטא cum ב vel εισελθειν cum εις aliquid consequi, ubi pri-

ma significatio pervenire, pertingere ad aliquid omne dubium removet et plenam lucem præbet. Imo si satis manifesta et prona est similitudinis ratio derivatæ significationis cum significatione radicis, aut congruentia significationis primæ cum elementorum potestate; et præprimis, si certæ formæ vel formulæ significatio permagno nititur similium exemplorum numero, exceptiones vero paucæ vel nullæ prorsus sunt, tantam acquirere potest collecta ejusmodi ex etymologia vel analogia significatio probabilitatem, quæ a certitudine parum abest, et defectum testimoniorum certi loquendi usus merito compensat. Præterea Etymologia insignem semper opem fert memoriæ, quæ tot, non raro longe divergentes ejusdem vocis notiones facilius retinet, dum habet in significatione prima quasi punctum firmum, cui reliquas notiones diversis lineis et annulis, quos etymologia suppeditat, connectere possit. *)

---

*) Prima significatio autem non semper amplius historice cognoscenda, sed ex certis modo caracteribus intelligenda est, qui sunt sequentes: si sicubi præsto est onomatopoetica notio, ea indubie prima est, quia ad ejusmodi efformandas voces iisque notanda objecta, e quibus ejusmodi sonus, quem vocabulum præsefert, prodiit, homines natura duce veluti provocabantur. Ubi talis non adest, ea primum lo-

§. 28.

Quomodo usus loq. linguæ mortuæ certo cognosci possit?

Quodsi pro dictis, usus loquendi primario est interpreti cognoscendus, jam agitur de eo, quomodo certa ejus cognitio obtinenda sit. Qua ratione talis comparetur in linqua adhuc viva, nec obscurum, nec incertum est: Nec multum discriminis interesse, aut negotii facere existimo, si lingua quidem emortua est, at fontes ex ea ætate supersunt, qua adhuc vivebat, satis uberes, eaque lingua in interpretando peregrino idiomate utentes, quæ adhucdum viget. Verum aliud est, si tales nulli amplius præsto sunt, sed ea demum ætate scripti, qua lingua jam extra usum collocata erat, prouti intuitu linguarum biblicarum obtinere videtur. — Novi jam quidem dialectis hic omnia deferri et fontibus ejusmodi,

---

cum sibi vendicat, quæ repræsentationem indicat sensus maxime ferientem, quia rudis homo sensuum imperio fere subest. Tertio denique ea erit cæteris præferenda, cujus notio magis est concreta, si simul ita comparata est, ut ceteræ commode ex ea derivari queant; quia abstractæ notiones progredientis demum culturæ partus esse solent. Unde simul intelligitur, quantopere errarint, qui notiones maxime generales significationes primas esse declararunt.

veluti versionibus, comentariis &c. lingua emortua demum exaratis, non nisi subsidiarium usum concedi. Nec ego quidem dialectis usum hevristicum abjudico, sed constitutivum tamen minime concedendum, sed ad domesticos illos fontes, utut nonnihil recentiores revocandas esse existimo. Non enim ulla lingua, nisi natio ipsa penitus subjugata, et ad alienas leges vivere coacta fuerit, ita extirpata est, ut nulla ejus cognitio apud cultiores, et quidem eo amplior, quo viciniores fuerunt viventi linguæ, servata, et in scholis ad posteros propagata fuisset. Ne fideliter satis versarentur, et conjecturis indulgerent eruditi, suspicio quidem est, nec pace mea penitus inanis intuitu aliquorum, præcipue recentiorum; ast contra antiquiores nulla fundata exceptio locum habere videtur. Quod enim urgent, non modo varietates inter ipsos quoque obtinere, sed plane extare manifesta errorum etymologicorum exempla, partim falsum est, partim non stringit. Varietates quippe tamdiu non labefactant fidem eorum, quamdiu probari nequit, eas non ex uberiori linguæ cognitione historica descendisse, vel saltem descendere potuisse, quod vero a nemine hucusque, quantum ego quidem scio, demonstratum est. Quod attinet perversas derivationes, luculentius exemplum ex his non constat mihi, nisi quod habetur εν τοις ὁ, qui Hab. 2, 18

מורה per φαντασια, ac si esset מראה, reddunt; sed recte hanc esse veram lectionem, τοις ὁ jam abversatam; satis probabilis conjectura est cf. Nöldeke in Henkii Museo Vol. I. p. 422. Accedit quod antiquiores isti eruditi unius alteriusve dialecti cognatæ periti fuerint; et quum ejus suppetias plerumque veluti inscii adsciscerent, præsumtio pro iis stat, magis sincere eos versatos esse in hac comparatione, quam modernos; qui haud raro novitatis studio seu verius pruritu quodam abducti adparent. — E contra autem, qui repudiatis ejusmodi domesticis fontibus vel periculum evitetur, ne peregrina linguæ ejusmodi inferantur, aut arbitrio modus ponatur, nescio; quum negari nequeat, cuivis dialecto sua esse peculiaria atque priva; et sæpissime, præcipue in rarioribus, ubi earum auxilia præprimis quæruntur, non haberi consensum inter eas, sed maximam dominari variationem; quæ arbitrio eruditorum locum facit; Quæ vero mox cessant, si fides habetur domesticis traditionibus, ad easque, ceu ad lydium lapidem, exigantur dialectorum relationes. — Non impetro a me, quin commemorem epistolas obscurorum virorum, ceu luculentissimum fidei traditionis Scholaris specimen. Eas enim ab iis viris profectas esse, qui latinam linguam non nisi per trivia quadriviaque edocti sunt, constat. Quum jam in illis extent

quidem solœcismi, et barbarismi, ast nullum tamen migratæ significationis exemplum, quid est, quod suspicionem moveat contra fidem hujus traditionis?

§. 29.

Fontes, ex quibus usus loquendi linguæ mortuæ cognosci potest, sunt Lexica, Scholia &c. quorum diversum est pondus.

Hinc ergo licet non repudiandæ sint dialecti ad illustrandas, immo confirmandas quoque linguæ mortuæ significationes, tamen si quæ superest adhuc viva traditio scholaris, ea præprimis audienda erit. Sin minus, consulenda erunt Lexica, Scholia et Glossæ, versiones et commentarii, quæ ex ea ætate descendunt, quo viva adhuc erat traditio scholaris, eorumque pondus eo majus erit, quo magis antiquitate eminent, quo sunt pleniora, aut minus suspecta de judicii proprii usu.

Atque ex parte antiquitatis Scholia et Glossæ, quæ inter id discriminis intercedit, ut illa occupentur verborum explicatione, quæ ob contextum difficilem, hæ vero eorum, quæ ob antiquitatem vel raritatem usus obscura sunt; prætereaque illa haud raro rebus ipsis explicandis operam navent; hæc inquam ex parte antiquitatis persæpe magnam authoritatem consequuntur,

quia non raro ex antiquissimis scriptoribus repetita sunt. At e contra intuitu ubertatis et fidei Lexicis multo inferiora sunt, quum obscuriora modo vocabula explicent, et non raro contextum secuta sint, quod patet vel e vocis forma, vel ex diserta declaratione; Lexica autem omnes linquæ divitias complecti, historice versata esse, simulque temporis rationem, saltem sæpius observare profiteantur. Præstant quoque ex hac parte Lexica versionibus et commentariis et quidem ex eadem causa; his autem invicem comparatis, commentarii potiores sunt versionibus eo, quod commentarii exempla plura adferendo, quibus explicationes suas confirment, partim fidem suam luculentius contestentur, partim ampliorem præbeant linquæ cognitionem. Præterea in versionibus quoque advertendum est, utrum incorruptæ ad nos pervenerint, vel an non aliam lectionem secutæ sint, ac quam nos hodie tenemus; cui dubitationi commentarii iterum minus obnoxii sunt.

Aliquo modo huc etiam pertinent antiquiores grammatici quatenus nimirum iis vivus usus, vel major saltem librorum copia præsto fuit, ex quibus leges linguæ cognoscerent; at quatenus cognitio hæc legum linguæ abstractioris virtute nititur, et præcipua ingenii subtilitate, a nobis, defæcatioris philosophiæ lumine

collustratis, quoad ακριβειαν facile superari poterunt.

§. 30.

Defectus horum subsidiorum compensatur ipsorum linguae scriptorum lectione; et Etymologiae ac analogiae studio.

Etiamsi vero ab ejusmodi linguæ cognitione, quæ hisce mediis comparatur, non omnis abesse soleat imperfectio, ea tamen, ni penitus removeri, certe diminui poterit scriptorum ipsorum in hac lingua extantium lectione. Nam licet illi ipsi sint, quorum explicatio quæritur, postquam tamen potior linguæ pars antea historice cognita fuerit, egregie adhiberi poterunt ad ea plenius et penitius cognoscenda, quæ per antea commemmorata subsidia vel in obscuro aut incerto relicta fuerunt, quum non raro obscura ejusmodi vocabula vel in eodem contextu, vel aliis in locis, per clariora, nonnunquam plane per logicam definitionem explicentur, vel saltem eo in contextu ponantur, qui unicam modo notionem vel sententiam admittit. Atque ex hac parte intuitu N. F. satis felices sumus, quum permulti authores tum græci tum etiam hellenistici vel ex eadem, vel non multum distanti ætate nobis supersint. Si vero neque his penitus consultum fuerit, etymologiæ vel analogiæ studi-

um adhibendum erit; quæ, præcipue analogiam, si satis manifesta est, atque copioso similium exemplorum numero nititur, satis probabilem cognitionem præbere, jam supra observavimus.

Cap. II. De usu loquendi biblico.

א *qualis sit usus loquendi biblicus; A) quoad communis erat omnibus scriptoribus hellenisticis.*

§. 31.

An interpreti catholico liceat ad idioma originis redire?

Frustra in sequentibus præciperemus de sequendo usu hellenistico vel hebræo, si quod quidam contenderunt, decreto Concil. Trid. Sess. IV. quo vulgatam authenticam declaravit, revera prohiberetur catholicus interpres ad idioma originis redire. Quare præmittenda est quæstio, utrum hoc ita se habeat, nec ne?

Equidem jam fateor me vix concipere, quomodo quidam ad hanc sententiam delabi potuerint. Fac enim strictissimo sensu accipiendum esse vocabulum authenticus, quo denotat instrumentum ab omni omnino vitio prorsus immune atque perspicuum; tamen, ne tum quidem sequitur, quod inferunt. Non enim Vulgata authentica declaratur e regione Textuum originalium,

immo ne versionum quidem in genere, sed unice e regione versionum latinarum, et quidem earum unice, quæ tum circumferebantur; ita ut quidquid de Vulgata statutum est, relative modo valeat, nimirum ratione habita Versionum latinarum tum circumlatarum. Ut fontium expressa mentio fieret, iique explicite adprobarentur, nulla erat necessitas. Nulla enim quæstio erat de illis, sed agebatur unice de vulgata vindicanda contra neologorum criminationes, et de periculo præcavendo, ne fideles per novas reformatorum versiones, quæ continuo procudebantur, et ad sententias novas conformatæ erant, perturbarentur, iisque inficerentur; forte simul etiam, ut provideretur iis doctoribus, qui græcæ et hebraicæ non erant periti. Id ita se habere, abunde patet ex loco historiæ Concil. Trid. jam supra §. 15. e Sarpio citato. Profecto si Concilio in mente fuisset fontes reprobare, eorumque usum interdicere, non impune fieri permisisset, ut catholici passim iis uterentur et quidem mox post editum istud decretum; quod factum esse, Pallavicinius in H. C. VI. 17. n. 6. disertis verbis testatur, dicens. „Num forte „inficiamur in editione vulgata multa esse am„bigua, obscura multa, quibus lux adfunditur a „bibliis priorum idiomatum? — Nonne primo„rum idiomatum ope catholici interpretes *passim*

„utuntur? Nonne id etiam proxime post Concilii „decretum egerant, quin et adhuc perdurante „Concilio? Quod palam facit, id non opponi „sententiæ Patrum concilii Tridentini." Tanto autem minus stare poterit adversariorum sententia, si ne quidem stricto sed latiori sensu accipiendum erit vocabulum authenticus; quod vero ita esse partim jam ex dictis intelligitur, luculentissimum autem fit ex declaratione Cardinalis a S. cruce, postea sub nomine Marcelli II. Pontificis Romani, qui tum huic sessioni, tum cæteris omnibus præfuit, quam declarationem Vega Theologus Concilii, et Cardinalis istius familiaritate usus nobis refert L. XV. c. 9. de justif. ubi id agit ut ostendat, frustra laborare Calvinum in ostendendis vitiis vulgatæ editionis, et ait: „Synodus non adprobavit menda, quæ lingua„rum periti et in Ss. literis mediocriter versati „in ea deprehendunt, — sed — eatenus voluit „authenticam haberi ut certum omnibus esset, „nullo eam defœdatam errore, ex quo pernicio„sum aliquod dogma in fide et moribus posset „colligi. — Et ne dubites de his, possum tibi „allegare pro his amplissimum et observandissi„mum S. crucis Cardinalem — qui — pridie „quam illud decretum firmaretur, et postea, „non, opinor, semel mihi testatus est, nihil amplius voluisse patres firmare." Hoc sensu

accepto quid jam aliud sibi vult istud decretum, quam posse vulgatam sine periculo ad publicum usum adhiberi, fontes vero pro natura rei supponi ceu probos, et minime reprobari. *)

§. 32.

Quo idiomate conscripti sint libri biblici?

Demonstrato sic jure, imo vel officio catholici interpretis redeundi ad idioma originis, nunc jam quæritur; quo idiomate libri biblici conscripti fuerint. Sed quum, qua lingua conscripti sint libri V. F., et quibus subsidiis ea cognosci queat, jam satis tractatum fuerit in Introductione in libros V. F. a Cl. Jahnio edita, de libris N. T. hic unice tractandum erit. Hosce jam vero græce conscriptos esse hucusque ab eruditis nitentibus testimonio Tertulliani, qui non nisi græcum authenticum ubique versioni

---

*) Verba decreti sunt,, Insuper Ss. Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur Ss. librorum, quænam pro authentica sit habenda, innotescat; statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, *quæ longo tot sæculorum usu in ipsa ecclesia probata est*, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, *et nemo illam rejicere quovis prætextu audeat.*

latinæ opponit, et silentio reliquorum, qui non nisi de Evangelio Matthæi, et quidam etiam de ep. ad Hebr. aliud commemorant, tam confidenter sumebatur, ut nec Harduini, nec Baronii nec Wahlii assertionibus moverentur. Et merito quidem, quum conjecturis magis, quam historicis argumentis ii viri pugnarent. At hodie gravior adversarius extitit in Pfankuchio, qui satis speciosis argumentis probare conatus est, ævo Jesu Palæstinensibus, et in specie apostolis linguam græcam incognitam fuisse, *) quorum propterea examine non supersedere posse videmur.

§. 33.

Argumenta quibus Pfankuchii sententia nititur.

Argumenta præcipua, quibus Pfankuchius nititur, sunt sequentia: 1. statuit Palæstinensibus nullam necessitatem aut sollicitationem fuisse, græcam addiscendi, quum omnes finitimæ nationes, quibuscum eis commercium erat, lingua utebantur vel eadem, vel perquam cum ea

*) Id egit in diss. Vol. VIII. Biblioth. Or. et Bibl. Eichhomianæ inserta, qua refinxit, novisque argumentis exornavit dissertationem Cl. de Rossi de dialecto Palæstinensi; et Boltenius revera jam interpretationem N. T. in versione vernacula ad hanc sententiam instituit.

cognata. II. Ne vero ultro ad id genus studii lati fuisse existimentur, obstare odium, quo in res peregrinas, et in specie in linguas exteras ferebantur; quodque comprobent duo Thalmudis loca, quorum alter habet: „execrabilem fuisse Palæstinensibus quemcumque, qui filium suum sapientiam græcanicam addiscere faciebat" alter: „in bello cum Tito Rabbinos decrevisse, ne quis discere faceret filium suum græce"; Præterea ad idem confirmandum provocat ad Josephi Antt. 20, 11. 2. ubi hic vir ait, neminem Palæstinensium præter se idoneum futurum fuisse huic operi condendo, ob linguæ græcæ imperitiam; imo sibi ipsi patriam consvetudinem et popularium præjudicium obstitisse, quo minus omnem linguæ hujus venustatem, pronunciationisque svavitatem assequeretur. III. De facto constare hanc linguam Palæstinensibus incognitam fuisse, inde, quod non modo ubique non nisi aramaice loquentes inducantur, sed insuper græcos sine interprete non intellexisse, aut ab ipsis non intellecti fuisse dicantur. Apostolis denique IV. eam aut non cognitam aut saltem non usurpatam fuisse, probare non modo eam dictionis græcæ rationem, quæ sine admoto hebraismi lumine intelligi nequeat, sed magis adhuc formulas hebraicas vel aramaicas cum adjuncta interpretatione græca; et præcipue manifesta quædam interpretationis

vitia, inter quæ præ cæteris hæc duo referunt quod Joh. 9, 7. Σιλωαμ per απεςαλμενος reddatur, et ibid 12, 4. מאנא αλαβαςρον perperam cum מָנְיָא λιτρα permutetur.

§. 34.

Examinantur.

Quod jam primum attinet, omnino quidem verum est Syriæ, Mesopotamiæ, Babyloniæ, et Arabiæ incolas dialecto usos esse aut eadem aut cognata cum Palæstinensi; at ii ipsi tamen saltem priorum provinciarum incolæ simul græcæ periti eique oppido dediti erant; quod patet ex Cic. pro Archia c. 25. et Tacit. H. II. 8. Idem valet de Aegyptiis inde a Ptolomæorum ævo; et si etiam Palæstinensium commercium ad solos Judæos in Aegypto degentes restrictum fuerit, nec illi græcæ ignari fuerunt, quod satis probat Philo et Alexandrinæ versionis historia. Verum si cum his quoque eis prorsus nullum commercium fuisset, Palæstinæ ipsi per Alexandrum M. græci milites inducti sunt, quod locus Antt. IX. 14. minime negat; per bella, quibus Aegypti, Syriæque græci reges continuo confligebantur, Palæstina plerumqne theatrum belli erat; collatis locis Antt. XVII. 13. et B. I. II. 23. Gaza, Gadara, Hippos, et Cæsarea maximam partem a

Græcis inhabitatæ fuerunt; In Alexandri exercitu 8000 Judæorum stipendia meruerunt, qui eo mortuo demum reversi sunt; eodemque modo permulti a Ptolomæis in Aegyptum captivi abducti postea domum dimissi sunt; postremis denique temporibus magistratus et milites Romani, haud græcæ ignari, huic regioni impositi sunt, et ingens græcorum numerus ad sacra judaica accessit, ommique anno festa solennia frequentare consvevit. An non jam hæc totidem veluti provocationes erant, quibus allicerentur Palæstinenses ad græcam addiscendam et adhibendam, ne interprete destituti, quo non semper uti poterant, commercio sermonis destituerentur? Anne milites isti aut captivi reduces mox se abdicaverint parata sibi linguæ græcæ peritia aut nemini popularium communicaverint?

Odium aliquod eorum fuisse, quo averterentur ab addiscenda hac lingua, citatis saltem locis mimine probatur. Prior enim locus de philosophia, non autem de lingua græca tractat; alter quidem de lingua loquitur, at partim non factum contestatur, sed prohibitionem modo continet, de qua vero, an plenum effectum consecuta sit, multo magis dubitari potest, ac in ipso Thalmude inveniuntur loca, quæ v. g. familiæ Gamalielis concedunt philosophiæ et linguarum studium; partim non pertingit ad ævum

apostolicum, imo isto ævo hanc linguam inter Palæstinenses viguisse supponit. Quod attinet Josephi locum, is iterum citius supponit vulgarem linguæ græcæ in Palæstina usum, quam ut Judæos ab ejus consvetudine promiscue abhorruisse demonstret. Dum enim ait: *πατριος με εκωλυσε συνηθεια* a consequenda omni græcæ linguæ venustate, exquisitaque pronunciandi ratione, id citius de rudi et incomposita popularium *græce* loquendi ratione, quam de sermonis patrii usu, qui nihil habebat commune cum græco, intelligendum est, etiam propterea, quia secus certe potius ʽεβραϊκη vel *ιδια αυτων διαλεκτος εκωλυσε με* dixisset.

Hæc jam simul aliquod præjudicium excitare debent contra argumentum, quod a facto repetunt. Si enim ea, quæ observavimus, revera aliquam cognitionem et usum linguæ græcæ in Palæstina innuunt, præjudicium oritur, non ignorantiam hujus linguæ, sed aliam peculiarem causam intercessisse, cur aramaice loquentes inducantur, aut a græcis, vel vicissim hi ab ipsis non intellecti fuerint. Atque si singula exempla, ad quæ provocatur, perlustramus, id omnino ita se habere intelligitur. Fratres nimirum et mater Maccabæorum aramaice inter invicem loquuntur, quia græce se invicem ad constantiam adhortari per Antiochi satellites prohibiti fuissent;

Eodem modo Mársyas Agrippæ servus aramaice nuncium adfert Domino suo de Tiberii nece, ne aut conjurationis participes, aut conscii saltem haberentur; ideo enim insuper fere hieroglyphica oratione utitur dicens: leo mortuus est. Græci denique Judæos non intellexeruut sine interprete, et vicissim, quia illi modo pure græcam, hi vero hellenisticam modo callebant. — Id ex peculiaribus ejusmodi causis accidisse, adhuc eo confidentius statuimus, ac præter jam commemorata adhuc plura luculentissima indicia vel argumenta adferri possunt, quœ linguam Græcam Palæstinensibus, nec literatis solum sed illiteralis quoque et cognitam et usitatam fuisse demonstrant.

§. 35.

Argumenta positiva pro contraria sententia adferuntur.

Inter quæ præcipue eminet Aristeæ narratio de origine versionis τῶν ὁ a Josepho eum in finem suscepta Antt. 12, 2. 1„ 15. ut versio ista Palæstinensibus quoque commendaretur. Neve enim Josephus hanc narrationem unquam veram habere, neve hunc finem hoc modo assequendum esse sibi persvadere potuisset, si ne sua quidem ætate adhuc, linguæ græcæ cognitio

et usus Palæstinæ illata fuissent; quia secus fabulæ ratio tum manifestissima fuisset.

Versiones Aquilæ, Symmachi et Theodotionis, quæ in gratiam Judæorum, aut Judæo-Christianorum susceptæ fuerunt, plane probant, ne sæculo quidem IIdo. inter ipsos græcæ linguæ consvetudinem extinctam fuisse.

Ad docendum, quod vel ad illiteratos penatraverit hujus linguæ notitia, præcipue aptus esse videtur locus Act. 21, 40 coll. 22, 2. Quum enim turba, in summam admirationem rapta sistatur, propterea, quod Paulum hebraice perorantem perciperet, græcam orationem, quam alioqui tum causa, ob quam Paulus in judicium vocabatur, tum accusatores, qui erant Judæi græci ex Jonia oriundi, probabilem reddebant, expectasse, et proin haud hujus linguæ ignara fuisse videtur. Hinc etiam observatio, τῃ ἰδιᾳ αυτων διαλεκτῳ, quæ sæpius adjecta habetur, ubique eam rationem habere videtur, quod alia quædam et quidem græca lingua, præter domesticam fere communiter fuerit ab incolis Palæstinæ suscepta.

§. 36.

Apostolis in specie eam non modo cognitam, sed etiam usurpatam fuisse, probatur.

Ut apostoli in specie linguæ græcæ studiosi essent, fere coegit eos muneris ratio, quod in

se susceperunt, et provocare debuit exemplum pharisaicorum doctorum, qui, ut mare terramque peragrarent, quo aliquem proselytum facerent, græcæ linguæ minime imperiti esse poterant, ita ut videatur, Jesum ne quidem commode eos in apostolos seligere potuisse, si hujus linguæ penitus ignari fuissent. De facto vero eos hujus linguæ peritia instructos sistuut sequentia loca; *a*) Joh. 12, 20. ubi ἑλληνες quidam Philippum adeunt, desiderium suum Jesu colloquendi ei significaturi, qui Andreæ, et uterque dein Jesu significavit, auditumque hujus responsum eis retulit. *b)* Act. 10. ubi Petrus mox post effusionem S. Spiritus Cornelium, centurionem Romanum, totamque ejus familiam convertisse legitur. Quum enim non ceu peculiare aliquid de his tribus apostolis hæc linguæ græcæ, veluti de Paulo Act. 22, 2. hebraicæ peritia notetur, quod haud fieri non potuisset, si cæteri ejus ignari fuissent, hæc ipsa loca cæteris quoque hanc cognitionem præsto fuisse adstruunt, et eo quidem magis, ac in pluribus interna quoque probabilitatis argumenta accedant, quæ id confirment, veluti quod Lucas non minus ac Paulus eruditione polleret, Matthæus τελωνης, Marcus Petri hermenevta, et Johannes denique, discendi cupidissimus, diutissime Ephesi et in vicinia commoratus fuerit.

At esto, inquit Pfankuchius, hanc linguam apostolis cognitam fuisse, nullum tamen ejus usum in scriptis suis fecisse, manifeste probant commemorata §. 34. n. 4. indicia.

Mihi vero id minime ita se habere videtur. Quod enim ea sit apostolicæ orationis conformatio, ut sine hebraismi lumine admoto non intelligatur, id inde derivandum est, quod sancti viri, uti jam Ludovicus de Deo observavit in præf. sua ad gramm. lingg. Orr., Syriace conceperant, quæ græcæ scripserant; uti eadem ratio ex eadem causa obtinet in iis quoque libris devterocanonicis, qui certe græce scripti sunt. Quid probent interpretationes græcæ hebraicis vocibus vel formulis adjectæ, me plane non intelligere fateor. Citius vero tanta vis concedenda foret manifestis interpretationis erroribus, siquidem vere occurrerent, licet ne ejusmodi quidem penitus abludant a viris illiteratis, atque in interpretandi arte, minime exercitatis. At verius est, nullum ejusmodi exemplum vere tale occurrere; Απεςαλμενος enim, quod urgent Joh. 9, 7. lucem capit ex Neh. 3, 15. בְרֵכַת הַשֶּׁלַח piscina missionis, quod passive acceptum omnino etymologice απεςαλμενος verti poterat; et in altero loco 12, 3. λιτρα i. e. מְנִיא egregie, minime vero αλαβαςρον i. e. מאנא convenit adjunctis orationis; præterquam quod Aramæi

λιτρα nullibi מניא sed ubique ליטרא reddant. Quod alia exempla attinet, vel eodem modo se cum iis habet, vel melior explicatio obtinetur ex profundiori linguæ græcæ cognitione, vel denique subest vitiosa lectio, quod suis locis videbimus in Introductione speciali.

Itaque nihil obstat, quo minus plena fides habeatur patribus non nisi græcum idioma librorum N. F., excepto Evangelio Matthæi et ep. ad Hebr., innuentibus, in eaque sententia subsistatur.

§. 37.

An pure græcum vel hebraizans sit?

Licet jam vero græce nostros scripsisse contendamus, minime tamen ii sumus, qui pure græco sermone eos usos fuisse adseramus. Ut pure græco sermone uterentur ii, qui ejus cognitionem non nisi ex usu communi et vulgari Judæorum, a quo hebraismi, aramæismi etc. abesse non poterant, obtinuerunt, nec disciplina aliqua aut alia ejus perficiendi occasione fruiti sunt, sine miraculo cogitari nequit. Tale jam vero concipi non potest, quia non modo absque fine gravi, sed plane contra primarium sermonis humani finem factum eſſe statui deberet. Quid enim refert, si sermoni quædam admixta sunt peregri-

na, si construendi ratio hinc inde ad alienas leges composita est, si oratio exoticum quemdam habitum adscivit, si cæteroquin tamen perspicuum est et grave dicendi genus? quale esse genus dicendi biblicum N. F., utut paucis, egregie tamen ostendit Hænlenius in enchiridio Introd. in N. T. Tom. I. p. 384. ed. I. Dein quid effectum esset ejusmodi miraculo? Judæi, quibus tamen potissimum hi libri destinati erant, pure græcum idioma prorsus non intellexissent; quum hebraisticum e contra quam plurimi vel ex Ethnico - Christianis intelligere poterant; utpote plerisque eorum jam antea proselytis Judæorum factis, qui per lectionem των ό facile assveverant huic dicendi generi, vel assvevisse saltem poterant. Quum jam vero primarius sermonis finis sit, ut intelligi queat, patet, miraculum ejusmodi, quo pure græca dictio nostris suggesta esset, præter rem futurum fuisse. Verum si hæc quoque minus valerent, res ipsa tamen extra omne dubium collocat, impurum esse dicendi genus N. T. Ubi enim in sermonem aliquem ingressæ adparent peregrinæ voces et formulæ; ubi domesticæ alienas significationes admiserunt, atque exteræ linguæ sequuntur construendi leges; ubi tota denique oratio exoticum quemdam habitum præsefert, ibi de puritate linguæ nullus amplius sermo esse potest. Atqui id ita se habere cum græco idio-

mate N. F. ex sequentibus §. §is. luculentissime adparebit. Si quædam loquendi formæ, quas nos ad hebraismos referimus, in antiquioribus poetis græcis, vel etiam in prosaicis scriptoribus, ævo tamen apostolico inferioribus inveniuntur, id tantum abest, ut puritatem earum vindicet, ut ea vel propterea suspecta fiat, quia poetæ, uti rariora et insolentiora, ita peregrina quoque sectari solent, et quod ævum attinet apostolico inferius, lingua græca jam promiscue et per decursum sæculorum magis magisque corrupta est. Et tamen non nisi ejusmodi uti poterant defensores puritatis styli N. T. *)

§. 38.

Mixtum est a) Hebraismis et Aramæismis.

In delineandis partibus linguæ biblicæ, ob quas eam impuram dicimus, eum jam ordinem servabimus, ut ab initio eas recenseamus, quæ ex linguis Orr. ingressæ sunt; dein eas, quæ in ipsa quidem græca enatæ, sed deterioris tamen notæ sunt, aut plane ex latino sermone in eam immi-

*) Quæ desuper prioribus temporibus agitata fuit controversia, quomodo et quando iterum composita, egregie describitur in Plankii Introd. in discipl. theol. et in Stange symmictis theologicis.

grarunt. Ad prioris generis jam primo pertinent Aramæismi et Hebraismi. Aramæismos in linguam biblicam ingressos esse, nemo est qui neget ex iis, qui impurum esse dicendi genus admittunt. At hebraismos stricte tales, i. e. voces, vel formulas aut significationes dialecto hebraicæ peculiares *) admissas esse, sunt qui controvertant eo ex capite, quia linguæ hebraicæ cognitionem jam diu ante ævum apostolicum extinctam fuisse, et locum cessisse putant aramaicæ; quod probare conantur loco Philonis Lib. II. de vit. Mos. p. 657 ed. fcfrt. quo. dicendo: το παλαιον εγραφησαν δι νομοι γλωσση χαλδαϊκη; innuerit versionem των ό ex paraphrasi quadam chaldaica confectam esse, quod qua alia de causa factum sit, quam quia hebraica jam tum ignota fuit, non concipi posse autumant; porro eo nituntur, quod legamus prælectioni textus hebraici semper adjunctam fuisse interpretationem. Attamen si Philonis verba e contextu spectantur, ma-

*) Alias Hebraismi vocabulum adhibetur ad omnia ea denotanda, quæ ex quacunque dialecto orientali in linguam Judæorum ingressa sunt; et ipsi quoque, tum in præcedentibus ita usi sumus et in seqq. utemur, ubicunque distinctionis ratio non aliter postulat. Solenne est, vocabula, quæ proprie de specie dicuntur, etiam de genere brevitatis causa usurpare.

xime probabile est, eum termino γλωσση χαλδάικη recte innuere voluisse linguam, quam nos hebræam dicimus, nomine petito a patria Abrahami quæ fuit אור כשדים quia appellatio ἑβραϊκη γλωσση ea ætate ordinarie aramaicam dialectum denotabat. Ut ita statuamus magis adhuc nos movet ea res, quod liber Siracidis intra annos 292. et 280, qui ob argumentum suum morale ad plebem fere pertinebat, et liber I. Maccabæorum circa annum 106 ante C. N. hebraice exarati esse satis probabiliter adserantur, nec causa adpareat, quæ effecerit, ut interjecto tempore ejus linquæ cognitio aut usus prorsus extinngueretur. — Anne etiam hebraice prælecti fuissent hi libri, si nulla plane auditoribus amplius præsto fuisset hebraicæ linguæ notitia? Imo anne secus possibile fuisset, ut citata e V. F. in nostris libris prolata sæpius consentirent cum textu hebraico contra LXX? Quod interpretatio adjungi debuerit, probat quidem aliqualem, sed non omnimodam hujus linguæ ignorationem; immo ne id quidem procul dubio, quum interpretationis adferendæ necessitas etiam in sublimitate stili, et obscuritate rerum ipsarum sita esse potuerit. Denique nullo pacto concedi potest, quod pure aramaica fuerit Palæstinensium lingua; nam in Thalmude utroque, in Thargumim, præcipue antiquioribus, et in versione sic dicta hierosoly-

mitana permulti occurrunt puri puti Hebraismi ita ut vel propterea jam dubio locus esse nequeat, hebraismos quoque stricte tales in N. F. non modo occurrere, sed eo minus abesse posse ac libri N. T. religiosi argumenti sunt, Judæique religionis notionibus hebraice potius qnam aramaice cogitandis assveverant. Quæ cum ita sint, ut Hebraismos non minus quam Aramæismos suspicemur. exempla nunc, quibus eorum veritas quoad N. T. comprobatur, promiscue adferemus.

Occurrunt jam vero 1mo. voces et formulæ hebraicæ vel aramaicæ sequentes: *αββα*, *ἀκελδαμα*, *αλληλουια*, *αμην*, *βεελζεβουλ*, *βηθεσδα*, *βοανεργες*; *γαββαθα*, *γεεννα*, *γολγοθα*; *ελι*. *ελι* vel *ελῶϊ*, *ελῶϊ*, *λαμα σαβαχθανι*, *εφφαθα*, *κορβαν*, *μαμμωνας*, *μαραν αθα*, *μεσσιας*; *πασχα*, *ῥαββι*, *ῥακα*, *ταλιθα κουμι*, *ὡσαννα* etc. 2do. Significationes hebr. vel aram. vocabulis græcis attributæ; veluti *αιων* mundus pro hebraico עולם, *το ἁγιον* ornatus corporis pro heb. קדיש vel גזם; *αργος* mendax pro chal. בטל, *αποκρινομαι* sermonem excipere, respondere, pro hebr. ענה; *δυναμις* miraculum pro Syriaco גבורתא; *εν* per, pro hebr. ב; *εγκρυπτειν* depsere pro heb. עוג; *ειρηνη* omnis generis felicitas pro hebr. שלום; *επίσκιαζω* tego, obtego, pro Syr. מלל; *κρισις* lex, item quod justum et verum est, doctrina, pro hebr. משפט; *μωραινε-*

ϑαι insipidum fieri, pro Syr. פכה; πληροω confirmo, ratum habeo, pro hebraico מלא; perficio pro chald. גמר, ῥημα res, pro hebr. דבר; σημειον miraculum, pro hebr. אות; σκανδαλιζεσθαι solicitari ad defectionem, vel deficere a religione; it. ad iram commoveri pro Syriaco אתכשל; ὑψοω* crucifigo pro Syr. זקף; χαρα epulæ pro hebr. משתה, ωφειλημα peccatum pro Syr. חוב etc.

3tio integræ phrases hebr. vel aram.; veluti: bucellam vel panem alterius comedere, animam suam invenire, animam alterius quærere, calicem bibere, mortem gustare, angelus satanæ me continuo colaphizat, ardentes carbones in caput alterius congregare etc. etc. Forte etiam quis huc referat sequentes dictiones: œconomus iniquitatis, filius iræ, filius sapientiæ, benedicta in mulieribus, justus, pulcher coram Deo, si satanas satanam ejicit etc. etc.

4to. constructiones hebr. veluti verborum cum præpositionibus vel casibus, quæ iis in græco carent, aut aliis juncta sunt e. g. βασιλευειν επι της ιυδαιας, προσκυνειν τινι etc. usus nominativi absoluti pro casu obliquo, veluti: παν ῥημα - περι αυτυ, καϑημενοι - ανετειλεν αυτοις; qui ventilabrum - in manu ejus etc. etc.

5to. denique totius orationis habitus orientalis est. Græci periodice loquuntur, orationem

arctissime per particulas nectunt, indirecto sermone utuntur, et magna dictionis varietate insignes sunt; qua re admodum rotunda, plana et expedita, svavisque efficitur oratio. Biblicus autem sermo N. T. uti hebraicus vel aramaicus membratim incedit, particularum inopia laborat, nulla vel exigua varietate distinguitur, asperior et impeditior est ob orationem directam, et haud raro otiosis abundat.

§. 39.

b) Rabbinismis.

Inde a quo Judæi ad subtiliorem, eruditamque rerum tractationem assurrexerunt, scholasque excitarunt, haud poterant amplius solo vitæ communis loquendi usu acquiescere, sed ad abstractiores suas notiones denotandas, quas subtiliori meditatione consecuti sunt, cogebantur fere vel novos terminos invenire vel jam inventos novis significationibus donare. Id jam non sæculo demum secundo, ut quidam volunt, sed diu antea, adhuc ante ævum apostolicum factum est. In N. T. enim pluribus in locis doctores, seu eruditi judaici variis sub nominibus veluti *γραμματεις, συνετοι, σοφοι, υἱοι της σοφιας, νομοδιδασκαλοι, ῥαββι* commemorantur, iisque opponuntur *αγραμματοι, νηπιοι, ιδιωται*, parvi seu minimi. Luc. 2. 45. Jesum parentes inveniunt

in templo inter eruditos considentem, audientem et interrogantem eos. Joh. 7, 15. mirantur Judæi πως ετος γραμματα ειδε μη μεμαθηκως; Act. 5. Paulus Gamalielis, celeberrimi inter Judæos magistri discipulus sistitur et ib. 6. Schola Cyrenensium et Libertinorum commemoratur; Luc. 11, 52. denique alludi videtur ad mores, qui in promotione ad gradum doctoratus observabantur. Ita etiam in Thalmude scholæ Hillelis et Schamai 40 circiter annis ante Christum floruisse dicuntur, et controversiæ eruditæ de divortio, de resurrectione mortuorum, de præcepto maximo, de pœna adulteræ etc. non tanquam recens demum enatæ, sed a longissimo jam tempore agitatæ repræsentantur. Omnes ii termini jam, qui ab eruditis Judæis vel noviter inventi vel nova significatione donati fuerunt, Rabbinismi dicuntur, nomine repetito a nomine judaico eruditorum hujus gentis, quod erat רַבָּנִין רַבָּן רַבִּי רַב

Quo minus jam vero quis hosce a N. T. libris abesse debere existimet ideo, quia scholæ cancellis continebantur, observo, Paulum fuisse omni eruditione judaica refertissimum, et Jesum quoque non cum rudi solum populo, sed et cum eruditis sermones miscuisse; immo populum ipsum, qui totus pendebat ab ore Rabbinorum ab iisque et jurandi et precandi formulas accipiebat,

vix prorsus eorum expertem esse potuisse. Luculento exemplo autem sunt voces et formulæ: ligare et solvere, regenerari, renasci, nova creatura, παρακλησις τȣ Ισραηλ Luc. 2, 25. benedictus Mc. 14, 61. Qui longinqui sunt. Act. 2, 19. parvi vel minimi, μεγας et forte etiam προσευξηται Mat. 19, 13. ac quæ omnes commode explicari nequeunt nisi Rabbinismo vel moribus saltem Rabbinicis in subsidium vocatis. Porro huc pertinet citandi ratio, utpote quam rabbinicam esse pluribus exemplis comprobavit Cl. Jahn in Introd. in Ll. V. F. §. 102. p. 143. quibus addi potest Rom. 15, 10. ac quo in loco non tam verba citata ipsa, quam integer Ps. 67. unde ea petita sunt, spectari videntur. Denique tota argumentandi, atque elocutionis ratio Paulina, ac quæ non tam judaica in genere, quam in specie rabbinica est.

§. 40.

c) *an etiam Arabismis?*

Præter Hebraismos, Aramæismos, et Rabbinismos, quidam, præcipue Michaelis et Boltenius etiam Arabismos in N. T. statuunt, quod nec impugnandum foret, si id modo vellent; dari in N. T. voces aut formulas, quæ nunc non amplius nisi ex libris arabicis illustrari possunt, quin simul dialecto huic privas esse contendant, quum

facillime accidere potuerit, ut in paucis illis libris, qui de cæteris dialectis supersunt, non amplius extent omnes earum divitiæ, contra vero in arabicis, quorum satis magna tum copia tum varietas est, feliciter adhuc inveniantur. At Arabismi stricte tales eo minus concedendi erunt, ac lingua Palæstinensis quam proxime accedat ad syriacam, hæc vero ab Arabica longissime distet; porro commercium Palæstinensium cum Arabibus ea ætate fere nullum fuerit, et denique minime indubia et omni exceptione majora sint exempla, quibus ad eos stabiliendos utuntur. Quæ enim a Michaelis et Boltenio in medium proferuntur, ex eo genere sunt, ut partim arabismus sine necessitate in subsidium vocetur, partim explicatio inde petita, plane sive contextui sive historiæ non consentanea sit, partim denique leges justæ comparationis, quod nefas est, insuper habeantur. Prius obtinet Mt. 12, 36. quia significatio vocis αργος quæ est mendax vel calumniatorius, siquidem ita reddendum sit, quoque ex chaldaico בְּטֵל, quod Onkelosus Ex. 5, 9. coll. Coh. 5, 2. hebraico שֶׁקֶר substituit, obtineri potest: Idem valet de loco Act. 14, 15. quia significationem admonere, in qua ευαγγελιζομενοι l. c. accipiendum esse non negamus, arabico بشر propriam esse, demonstrari nequit, quum

chald. בשר Ps. 96, 2. it. 1. Sam. 4. 17. non modo æque late pateat, sed 2 Sam. 18, 20. plane de tristi nuncio usurpetur. — Alterum locum capit Ap. 2, 24. et Joh. 5, 35. Certe enim sensus, quem officii notio per hebraicum suppeditata præbet, contextui *prioris* loci magis aptus est, quam ille, qui ex arabico obtinetur; præterquam quod adhuc quæri possit, an aliena culpa non in omni lingua onus dici queat? Quod alterum locum attinet, sensus, qui ex arab. زح ludibrio habuit coll Sur. 40, 83. prodit, manifeste historiæ contrarius est, ac quæ docet, Johannem nunquam ludibrio a Judæis, sed summa semper in veneratione habitum esse. Tertium denique obtinet Mt. 21, 32, et Act. 23, 2. Discrimen enim est inter duas istas locutiones: venire cum libro, vel quacunque re portabili; et venire cum religione vel religionis doctrina; si alterum tulit usus, non mox etiam posterius adprobavit. Porro, quis concedat Syriacum אסא paries comparandum esse cum أسيء nequam et חוורא albus idem esse ac canus, et porro: inveteratus? præterquam quod non adpareat, quomodo hac explicatione admissa locus citatus adjuvetur. Donec ergo firmiora adferantur argumenta pro arabismis stricte talibus adserendis, tales nullos admittimus in lingua biblica N. F.

§. 41.

d) An Persismis.

Quum Judæi non modo per longius tempus Persis subjecti, sed et postea, ac subditi esse cessarunt, adhuc ultra sæculum arcto in nexu cum ipsis positi; imo Græci quoque vario modo iis permixti fuerint, mirum sane non foret, si persicæ quoque linguæ peculiaritates in linquam Judæorum immigrassent. Et omnino quidem voces biblicæ αγγαρευειν, γαζα, μαγος, μαργαριτης, μεγιςανης, quibus Paulus etiam γεεννα accenset, jure originis persicæ habentur. At cum vocabula singula, præcipue tam exiguo numero haud sufficere videantur ad persismos statuendos, formæ autem loquendi et modi persici præterea nulli occurrant, inaniter tales statuerentur. Utrum sentiendi, cogitandique ratio Judæorum, præcipue in rebus ad religionem pertinentibus non hinc inde ad persicam fuerit conformata, de eo non est, quod hic loci dicamus.

§. 42.

Vindicatur compellatio: dialectus hellenistica vel Alexandrina.

Hisce dictionis biblicæ peculiaritatibus designandis haud incongrua videatur compellatio: lingua hebræo græca; ast eruditis tamen prio-

ribus ea non, sed potius placuit compellatio dialectus hellenistica, vel Alexandrina. Nec est, cur ea respuatur, quin immo ob brevitatis causam non alteri illi præferatur. Cur enim non liceat dialectus vocabulum pro usu technico de lingua usurpare, quæ ab ea, quam pro fundamento habet, peculiaritatibus undecunque demum ortis, distinguitur? Quid est quod cogat illud ad eam modo restringere, quæ non nisi domesticis peculiaritatibus a lingua matre differt, et cujus usus certæ regionis terminis continetur? Adjectivum hellenistica porro satis vindicatur per usum biblicum, *) ex quo coll. Act. 9, 29. et 6, 1 sqq. manifeste de Judæis venit, qua græce loquentibus, et vel de proselytis eatenus modo usurpari videtur, ac ipsi quoque græcitati judaicæ sese accommodarunt. Nec denique adjectum alterum ineptum est aut errorum materiem præbet, si illud referatur, non ad Alexandrum M., sed ad versionem των ό, cujus lingua prorsus eadem est cum biblica N. T., et quam, quia Alexandriæ confecta est, solenne est Alexandrinam adpellare.

---

*) Cf. Hugii Introd. in N. T. P. II. p. 33 sqq. it. acroases Mori super Hermen. N. T. editas ab Eichstadio P. I. p. 277 sqq. et Henke Museum P. 2. p. 258 sqq.

§. 43.

Porro autem græcitas ipsa deterioris notæ est.

Lingua biblica autem non tantum ideo impura censetur, quia in eam Hebraismi ingressi sunt*), sed et ideo, quia græcitas ipsa non amplius illa pura attica, sed ea est, quæ ab illa puritate longe multumque descivit. Occurrunt nimirum in ea voces vel formulæ, aut significationes antiquioribus additæ, quæ in scriptoribus classicis nunquam usurpantur; porro voces aut formulæ, quæ provincialismis accensendæ esse videntur, aut plane ex sermone latino derivandæ sunt; quod ita esse ex sequentibus §phis adparebit.

§. 44.

Scatet α) Alexandrismis.

Græci per Alexandrum peregrinis terris illati, multarum rerum novarum notitiam adepti

---

*) Ne quis suspicetur ingressum Hebraismorum tantam fuisse ut non nisi vocabula græca relicta sint, observamus, bene multa, imo potiorem partem esse, quæ græca sua potestate venit, haud raro perperam ab interpretibus ad Hebraismum revocata; imo plane ejusmodi præsto esse vocabula, quæ rei alicui exprimendæ peculiariter a græcis destinata, seu technica sunt veluti εξηγησατο Joh. 1, 18. et quod mihi quidem ita videtur, vix unquam migratam esse temporum significationem.

atque ab eo præcipue tempore ad speculationes abstrusiores demum delati, non poterant non sive ad novas voces vel formulas formandas, sive peregrinas suscipiendas, vel saltem novis significationibus priores augendas solicitari, quibus nova cognitionum objecta, et speculativas suas notiones designarent: et quid mirum, si ultra quoque progressi absque necessitate ad analogiam inventarum, alias adhuc efformarent? Hæc quæcunque jam sunt, Alexandrismi dicuntur, non tantum ideo, quia ab Alexandri demum tempore inventa sunt, sed simul etiam ideo, ut ceu impura notentur, qualia barbara quæcunque dici, et ea plerumque esse solent, quæ gens assveta bellis, et populis mixta, quibus os non erat bene compositum, nec seusus subtilior, aut quæ philosophi speculationibus immersi, et puritatis linguæ raro studiosi inveniunt. — Ut jam vero ejusmodi absint a lingua N. T., eo minus potest cogitari, ac ad Judæos linguæ græcæ notitia inde ab Alexandri ævo demum pervenit; versio Alexandrina, quæ sub Ptolomæis demum Alexandriæ confecta est, a Judæis Palæstinensibus quoque diligenter lecta, et magna pars Codd. N. T. ab Alexandrinis librariis profecta est. Hujus generis autem habentur a) formæ βασιλισσα, γλωσσοκομον, εξαπινα, εξολοθρευεσθαι, καθοτι, καταvυσσω, κορασια, κραββατον, μεσουρανημα, παρα-

δειγματισαι, ςρηνιαν etc. .*b*) significationes verbi αϑενειν moraliter infirmum esse, labi, γαμος convivium, ελεος gratia, favor, περιεσιος eigenthümlich etc. et merito quidem, quia in scriptoribus Alexandro superioribus minime inveniuntur. cf. Marsh add. ad Mich. Introd. in N. T. P. I. p. 46. sqq. et Frid. Guil-Sturzii de dialecto Macedonica et Alexandrina liber. Lips. 1808. 8. maj.

§. 45.

β. *Cilicismis.*

Si in Pauli epistolis occurrant Cilicismi, ii tanto minus offendere possunt, ac stilus epistolaris, qui sermone familiari utitur, non respuere debet voces et formulas, in vulgari sermone provinciæ unice usarpatas. Id vero revera ita se habere, gravis authoritatis viri contendunt. Hieronymus nimirum ad Algas. Quaest. X. Opp. Tom. IV. p. 204. ed. Martianay ait „Multa „sunt verba, quibus juxta morem urbis et pro„vinciæ suæ familiarius apostolus utitur; e qui„bus e. g. pauca ponenda sunt: Mihi autem „parum est judicari ab humano die (1 Cor. 4, „9.) et ε κατεναρκησα ὑμας (i. e. non molestus „fui vobis sc. mercede exigenda 2. Cor. 11, 9. 12, „13. sq.) et μηδεις ὑμας καταβραβευετω (i. e. nemo „vos insidiose circumveniat Col. 2, 18.) qui-

„bus et aliis verbis usque hodie utuntur Cilices. „Nec hoc miremur in apostolo, si utatur ejus „linguæ consvetudine, in qua natus est et nutri„tus, cum Virgilius, alter Homerus, patriæ „suæ sequens cousvetudines, sceleratum frigus adpellet.“

Sique verum est, quod eruditi observant, Hieronymum hanc observationem debere Origeni, vel adhuc antiquiori Grammatico, quem Irenænm esse putant, omni exceptione majus est hocce testimonium. Recentiores præterea in hanc classem referunt περικαθαρμα, εκκακειν despondere animo, ευδοκια in significatione votum, desiderium, καταργειν abrogare, destruere, et προσαγωγη accessus. Nec immerito, siquidem formæ istæ vel significationes in iis modo scriptoribus obviæ sunt, qui vel ex ipsa Cilicia, vel ex finitima aliqua provincia descendunt. *)

---

*) Nec pro dictis mirum foret, si idiotismi quoque i. e. vocabula et formulæ in rudioris solum plebis sermone usitata, imo vel solœcismi in nostris occurrerent. Attamen idiotismi in hoc sensu mihi nullum exemplum constat. Sane vero ἡ λεγουσα Apoc. 2, 20. siquidem lectio sana est, a solœcismi vitio vix vindicari potest.

§. 46.

γ.) *Latinismis.*

Latinismorum exempla sunt *a*) vocabula ασσαριον, δηναριον, κεντεριων, λεγεων, σπεκυλατωρ, κεςωδια, κολωνια, κηνσος, μακελλον, μεμβρανα, μιλιον, quo jam Strabo usus est, μοδιος, ξεςης, πραιτωριον, σημικινθιον, σικαριος, ταβερνη, Φραγελλιον &c. *b*) Significationes καρπος fenus i. e. emolumentum, quod ex commodata pecunia provenit, συνειδησις Gewissen, Φορον forum &c. *c*) denique formulæ: ἱκανον ποιησαι τῳ δημῳ Mc. 15, 15. quod græci χαρισασθαι dicunt ἱκανον λαμβανειν Act. 17, 9. sponsionem accipere, seu curandam sibi dare; δος εργασιαν Luc. 12, 58, quam formulam Salmasius, latinismi immemor, perperam reddidit: usuram debiti dare; αναπεμπειν remittere ad alium (superiorem) judicem. It. εχε με παρητημενον; οψει; ἱνα εχωσι κατηγορειν αυτε Joh. 8, 2. λογον αποδιδοναι, εσχατως εχειν, δια των κεραμων καθηκαν Luc. 5, 19. quarum tamen aliquæ commode ex græca derivari queunt. Utique latina maximam partem ex græca derivata est. Unde facillime simul concipitur, qui tanto numero Latinismi quoque stricte tales in græcam ingredi potuerint, præcipue inde a quo Græci et postea Judæi quoque in postetatem Romanorum redacti

sunt, et romanos magistratus atque milites sibi impositos habebant.

§. 47.

B.) De usu loquendi scriptoribus biblicis N. F. peculiari.

Quoad hucusque descripsimus indolem linguæ biblicæ, ea est, quæ ei cum omnibus scriptoribus hellenisticis communis est. At quum religio christiana partim novas notitias attulit hominibus, partim priores ad majorem perfectionem adduxit, non poterat abesse, quin scriptores nostri aut novis terminis uterentur, aut priores novo, veluti technico, sensu acciperent, quæ res non minus ac communis indoles ab interprete debet attendi, ne ex communi usu ejusmodi declaret, quæ ex peculiari explicanda sunt. Præterea eo adhuc vel ab invicem distinquuntur, quod, sicut quivis alius scriptor, alius præ alio soleat certas formulas præ aliis, aut communes certo quodam sensu usurpare; qua re præcipue Paulus et Johannes a reliquis differunt.

§. 48.

ב) de fontibus ac subsidiis, ex quibus usus loq. N. T. cognoscendus est.

Exposita sic satis superque linguæ N. T. indole, jam agitur de fontibus, ex quibus ususloq. N.

T. cognoscendus est. Hosce autem manifeste diversi generis esse oportebit, quum variæ sint partes, ex quibus lingua hæc quasi coaluit. Pro eo nimirum ac hebraici generis sunt, hebraistici vel potius hellenistici fontes erunt adhibendi; quatenus græci sunt, scriptores græcitatis periti, sequioris tamen potissimum ævi; pro eo denique ac latini sunt, latini fontes erunt consulendi; quos postremos tamen, quum notissimi sunt, singillatim recensere haud opus erit. Porro quum usum communem et peculiarem vel particularem distinquendum esse vidimus, etiam hujus discriminis in fontibus designandis ratio habenda erit. Antequam vero ad eorum enumerationem accedamus, statuendæ erunt certæ rationes, ex quibus definiatur, quis ubique usus sequendus sit.

§. 49.

Unde cognoscatur quis ubique usus sequendus sit?

Id cognoscitur vel ex ratione sensus, vel ex grammaticis aut historicis causis: Pro eo nimirum, ac ex hoc vel illo usu tantum sensus commodus prodit, vel non, pro eo etiam hic vel ille, hebraisticus vel græcus communis vel particularis sequendus erit. Grammatica ratio ea est, quæ ex vocis forma vel construendi ratione repetitur. Hac jam vero spectata pro eo, ac ea

manifeste vel hebraica vel græca est, nullum dubium esse poterit, unde explicatio petenda sit. Ex historicis demum adjunctis judicatur, si spectatur, an verba citati ex V. F. rationem habeant vel non; vel saltem alludant ad argumentum ejus, ubi cum rei vel sententiæ recordatione utique etiam verba facile, eorumque potestas mentem subibant; an formula aliqua, spectatis omnibus suis partibus, frequenter, et veluti ordinarie in hellenisticis, raro vero aut nunquam in græcis fontibus occurrat; denique an auctor libri is sit, qui melius græce, vel vero hellenisticam unice edoctus fuerit. Inde jam vero si non semper certum, probabile tamen judicium fieri poterit, quis in quovis loco usus sequendus, quinam fontes consulendi sint. —

A) De fontibus et subsidiis usum biblicum communem cognoscendi et quidem *a*) quoad hebraisticus est.

§. 50.

Primarius fons sunt οἱ ό.

Primarius fons dictiones hebraicas illustrandi sunt οἱ ό. Hæc versio enim, quæ a Palæstinensibus confecta, diligenterque lecta fuit, *) non modo eandem linguam refert cum lingua N. T., sed dialecti hellenisticæ veluti parens est, quam sequentium sæculorum Judæi ceu archety-

pum suspexerunt, a quo nunquam vel in vitiis admissis desciscendum, et cujus analogiam in novo quoque condendo nexu sequendam esse putarunt, ita ut propterea non possint non, quæ inde constant, certissima haberi. — Princeps locus huic versioni etiam propterea competit; *a*) quia simul hebraica, quæ certis græcis respondent, eisque sola adfundunt lucem, haud vero sine ejus auxilio inventa fuissent, interpreti suppeditat; veluti v. g. se habet cum vocabulis *ρηγνυμι*, *εγκρυπτω*, *αδικια*; cum formulis *επι το αυτο*, *εις νικος* vel *εις το τελος* ac quæ hebraicis לנצח, יחדו, מרמה, עוג, רמש, quæ sola claritatem adferunt, respondere sine ejus auxilio vix aut ne vix quidem interpres detexisset. *b*) quia vicissim, ubi hebraica citius succurrunt, attamen obscura sunt, sensum eorum pandit; dum haud raro accidit, ut quæ in uno loco ad verbum expressa sunt, in alio maxime perspicue, imo haud raro egregie reddantur, de qua re confer Joh. Frid. Fischeri Prolusiones de verss. græcis librorum V. T. literarum hebrr. magistris Lips. 1772. 8. — Ast non omnis tamen a LXX. usu cautio abesse debet. Licet enim nullum periculum sit, ne sicubi eos judices potius quam testes sequamur, videndum tamen est, an eadem iis, quæ nobis, præsto fuerit lectio textus hebraici, vel an nos adhuc ge-

nuina textus vel versionis hujus lectione utamur; quia secus fieret ut voci alicui vel formulæ græcæ significatio tribuatur, tanquam auctoritate nisa τῶν ό, quæ tamen eis prorsus non nititur. *) cf. Cl. Jahn Introd. in Ll. V. T. §. 34. 37.

§. 51.

Accedunt Aquilæ Symmachi Theodotionis et cæteræ hexapl. verss.

Ad hos quam proxime accedunt Aquilæ, Symmachi, Theodotionis ac cæteræ hexaplares versiones, ac quæ idem interpreti commodum præstant, ut hebraica ipsa suppeditent, quibus certa græca substituta sunt; et haud raro, præcipue Symmachus et septima in inveniendo hebraicorum sensu eum adjuvent; sed eo tamen inferiores sunt iis, quod non amplius archetypi rationem habeant, ita, ut propterea erroris periculum non absit, sicubi perperam contextus rationes secutæ sint, quod vero in Aquila fere nullum est, ac qui etymologiam magis, quam sensum exprimit. Præterea uti in τοῖς ό videndum est 1mo. utrum idem eis textus hebraicus obversatus fuerit, qui nobis hodie obversatur;

---

*) Qui de castigatiore harum verss. textu bene meriti sunt recensentur in Elementis Herm. N. T. Keilii §. 28. a) p. 50. sqq.

dein utrum proprius earum textus immutatus ad nos pervenerit, vel non. *)

§. 52.

Porro apocrypha.

His porro accensenda sunt apocrypha tum V. tum N. T. utpote quæ maximam partem sive a Judæo-Christianis confecta, proin eadem lingua conscripta sunt, quæ in libris N. T. obtinet. Atque pro eo ac plura ex eis vel ipsam attingunt ætatem nostrorum librorum, vel non multum saltem distant; porro pro eo ac versionis rationem non habent, et propterea suspecta esse nequeunt, ne judices potius quam testes agant; denique pro eo, ac incrementa, quæ usus hellenisticus inde a LXX. cepit, et præcipue ea, quæ religio Christiana forte nova effecit, ex iis cognosci possunt, magnum et usum et momentum habent. At quum non æque ac ver-

---

*) Quatenus Josephus et Philo quoque usi sunt τοῖς ὀ, de qua re videndus est Cl. Jahn l. c. §. 57. et Scharfenbergii prolusio de Jos. et verss. Alex. consensu in sylloge Pottiana Vol. VII. p. 279. sqq. eatenus etiam ipsi huc pertinent, utpote qui sæpius sensum hujus versionis egregie illustrant. At quum infra alioquin ex professo de iis tractandum est, hic perfunctoria hac commemoratione acquiescimus.

siones commemoratæ ipsa hebraica subministrent, quibus certa græca respondent, et sic fieri queat, ut desideratam perspicuitatem non ubique adferant, haud temere iis locum tertium demum concedimus.

Ad usum tum eorum, tum prius commemoratarum verss. hermenevticum juvandum, proderunt sequentes libri: Abr. Trommii Concordantiæ græcæ versionis, vulgo dictæ LXX. interpretum. Amstelod. 1718. Tom. II. fol; Bielii novus thesaurus philologicus. Hagæ Comit. 1779. 80. Frid. Schleusneri Spicilegium in interpp. Græc. V. T., maxime apocryphos. Lips. 1784. 86. Bretschneideri Spicilegium in eosdem post Bielium et Schleusnerum Lips. 1805. Kreyssigii Symbolæ ad Bielii thesaurum philologicum augendum atque emendandum. Schneeb. 1809. Partic. II. ibid. 1810. Clavis reliquiarum verss. Græc. V. F. &c. auctore Joh. Frid. Fischer Lips. 1758. repetita et aucta in Comment. theolog. edit. a Velthusen &c. Vol. IV. p. 195 sqq. Christoph. Frid. Loesneri Obss. in reliquias &c. Lips. 1761. ibid. Vol. III. p. 270. auctius et emendatius repetitæ. Christoph. Theophil. Künœlii. Obss. ad N. T. ex libris apocryphis V. F. Lips. 1793. Henke neues Magazin für Religionsphilos. Exeges. u. K. G. T. III. p. 136. sqq. Ern. Christ. Schmiedtii Obss. ad interpret. N. T. ex Prote-

vang-Jacobi in ejusd. Bibl. für Kritik u. Exeg. &c. T. I. L. I. p. 130. sqq. Bretschneider. Exc. II. ad edit. Jesu Sirac. (Ratisb. 1806.) p. 709. sqq. in quibus libris simul exempla lucis libris N. T. hac ratione accensæ extant.

§. 53.

Idem Verss. antiqaæ latinæ et syrr. nec non P. P. quorundam Commentarii.

His adhuc adjungi merentur antiquæ verss. latinæ atque syriacæ nec non P. P. quorumdam veluti Origenis et Hieronymi commentarii. Versiones quippe illæ probabilius a Judæo-Christianis confectæ sunt, linguæ hellenisticæ peritis; et eodem modo Origenes atque Hieronymus saltem unam alteramve dialectum orientalem præter græcam edocti fuerunt. *) At licet, præcipue versiones istæ, propter antiquitatem suam satis grandem authoritatem habeant, periculum tamen, ne nos in errorem deducant, si alicubi contextus rationes perperam subduxerint, in illis multo propinguius est, quam in Aq. Sym. &c. præterquam quod ubique etiam de lectionis veritate videndum sit.

*) De Justino et Epiphanio, quos quidam duumviris istis adjungunt, istud minus certum est; uti e contra de Ephræmo Syro fere evidens est, ipsum græce nescivisse.

Antiquis Verss., et in genere orientalibus nemo diligentius usus est Boltenio in theodisca sua N. F. translatione, quæ proin ceu præcipuum subsidium hermenevticum earum usum adjuvandi commendari meretur.

§. 54.

Denique libri hebraici ipsi, scripta Syriaca, Chaldaica, atque rabbinica.

Ubi denique, quod in dictionibus rabbinicis semper usu venit, adjumenta commemorata non sufficiunt ad necessariam lucem præbendam; orientalismum tamen latere ex certis indiciis argui debet, illustratio petenda erit ex uberiori hebraismi syriasmi &c. cognitione, quam quis propria librorum in his dialectis extantium lectione contraxit, et libri igitur, qui de his linguis extant, necessario fontibus usum hebraisticum illustrandi adjungendi sunt.

Quinam libri hebraici supersint, nemini non constat. Qui de Syriacis presto sint, videri possunt in Cl. Jahn Introd. §. 80, uti nec minus, quot et quæ Chaldaicæ paraphrases. Ex rabbinicis præter Thalmud, varii commentarii veluti Maymonidis, Abenesræ &c. extant; et quatenus arabici libri istorum defectus supplent, hi quoque quorum ingens est numerus, quos vide

in Schnurreri Bibliotheca Arabica, in subsidium vocandi erunt. Adjumento interpreti erunt: Petr. Keuchenii Annotata in N. T. Edit. nova et altera parte nunquam edita auctior, c. præf. Joh. Alberti Lugd. Batav. 1755.; Eisenmenger neu entdektes Judenthum; Lightfooti Horæ hebr. et thalmudicæ in ejus Opp. et II. Ultraj. 1699. et cura Joh. Benj. Carpzovii Lips. 1679. 84. Chr. Schoetgenii Horæ hebr. et thalmud. in Univ. N. T. Dresd. 1733. Tom. II. 1742. Joh. Gerhard. Meuschen N. T. ex Thalmude et Antiqq. Ebræorum illustratum Lips. 1736. Buxtorfii Lexicon Chald. Thalmudico - Rabbinicum; Wetstenii N. T. græcum; D. Paulus Comment. hist. criticus in N. T. et Chr. Er. Schmidtii Bibl. pro Crisi et Exeg. N. T. &c.

§. 55.

Canones quidam, qui regant comparationem græca inter et hebraica proprio Marte instituendam.

Magnum discrimen esse inter hebraismi cognitionem ex fontibus hellenisticis, præcipue iis, qui græca et hebraica simul suppeditant, obtentam, et eam, quæ sine eorum suffragio ex propria LL. OO. intelligentia comparatione proprio marte suscepta repetitur, neminem latere posse arbitror. Quis enim non videt, eam, dummodo præscriptæ cautiones observatæ fuerint, historice

certam esse, hanc autem, utpote conjecturæ historicæ comparandam, non nisi aliquem probabilitatis gradum adsequi, qui major minorve est pro eo, ac comparatio hæc vitiis quibusdam caret, vel non. Hinc si ibi jam, hic majori adhuc circumspectione utendum, et ad evitanda vitia, quæ vel primi subsellii viri admiserunt, sequentes canones observandi erunt.

1mo. Nulla erit ejusmodi comparatio sine necessitate admittenda, quæ tamdiu non adest, quamdiu ulla suppetit significationum historice cognitarum, quæ commodum sensum fundit. Ex quo capite igitur Boltenii explicatio vapulat, quam præbet de verbo *απεχουσι* Mt. 6, 2. conferendo istud cum בטל cessare fecit, quum græci verbi potestas commodissimum sensum fundat.

2do. si non prorsus repudianda, suspectæ tamen notæ est ea, quæ nullius plane versionum orientalium accessu suffulcitur, quum, ut si ea vox vel formula hebraica, quam moderni in subsidium vocant, cum certa græca unquam in nexus ratione posita fuisset, earum authoribus in mentem venisset, oppido præsumendum sit. Ex hac causa saltem Marshius suspectam habet comparationem adjectivi *αργος* cum arabico باطل, quam Boltenius instituit.

3tio. Certe autem vitiosa est comparatio, quæ analogiæ a LXX. et cæteris hellenisticis sub-

sidiis in ineundo græca inter et hebraica nexu observatæ non consentanea est, veluti se habet v. g. cum ea, quæ vocem græcam cum hebraica in certa significatione accepta confert, licet ei in hac significatione nullibi respondeat. Unde conjicias, quid censendum sit de explicatione, quam Nachtigallius præbet de voce *μαχαιρα* Luc. 22, 36, eam cum hebraico חרב conferens, cui tamen in *τοις ο* nullibi respondet, ubi istud in significatione cultri venit.

4to. Idem valet de ea, quæ formulas confert, non pro omnibus suis partibus sibi respondentes; v. g. venire in via justitiæ, et venire cum libro, vel etiam *ο υιος τȣ ανϑρωπȣ* et בר נשא.

5. Nec minus de ea, quæ arabismo stricte tali, aut perraræ, aut, quod adhuc manifestius vitium est, incertæ vocis hebraicæ vel chaldaicæ &c. significationi innititur. Unde dijudices explicationem verbi *απηγξατο* Mt. 27, 5. quod Boltenius reddit *præcipitem se egit* conferens istud cum chald. שנק; itemque explicationem verbi *αγαλλιαϑηναι* Joh. 5. quod Michaelis reddit: *ludibrio habuit*, conferens arab. فرح, quod tamen in unico hucusque loco hac significatione præditum inventum est.

E contra autem non modo non repudianda sed probanda erit, quæ non modo hisce vitiis

non laborat, sed manifesta et obvia est, et veluti ultro se offert interpreti.

b) quoad græcus est.

§. 56.

Ad græcos fontes pertinent 1. Scriptores græci in genere.

Ad usum biblicum N. T., quoad græcus est, cognoscendum illustrandumque scriptores græcos adhibendos esse adeo manifestum est, ut nulla demonstratione egeat. At juvat diversum eorum pondus notare, eosque in medium proferre, qui cæteris præferendi sint. Utut enim atticæ puritatis sectatores non prorsus repudiandi sint, ii tamen longe postponendi erunt iis, qui sequiori ævo scripserunt; et quidem eo magis, quo viciniores fuerunt sive ætati sive patriæ apostolorum, vel etiam, quo humiliori aut simpliciori stilo usi sunt. Ex his titulis jam vero præ cæteris commendantur Polybius, qui ducentis annis circiter ante Christum floruit; Diodorus Siculus, qui Cæsari; Arrianus, qui Hadriano fere coævus fuit, et Herodianus, qui stili simplicitate præ cæteris eminet, et inter annos 170—240 p. X. circiter floruit. In Paulo eruditi majorem aliquam cum Thucydide stili similitudinem deprehendisse sibi visi sunt; quo tanquam vero posito hic scriptor po-

tissimum ad illustrandam Pauli dictionem adhibendus erit. *)

§. 57.

2do. Josephus et Philo.

Hisce autem adhuc præstant et merito ab iis distinguuntur Josephus et Philo, ac qui non modo quoad ætatem nostris proximi fuerunt, sed et domestici sunt et summa familiaritate usi cum rebus, moribus, et cognitionibus Judæorum, a quibus propter peculiarem suam conditionem peculiaria non poterant abesse, vel in usu græco quoque, quæ proin ex extraneis scriptoribus non æque possent cognosci. Insuper de materiis fere iisdem verba fecerunt, de quibus etiam in

*) Cf. Hauff über den Gebrauch der griech. Profanscribenten zur Erläuterung des N. T. Leipz. 1796, quo in opere inde a p. 88 simul recensentur omnia scripta, quæ usum eorum adjuvant, ex quibus præstantiora hæc fere sunt: Lamberti Bos diatribæ s. exercitationes philologicæ ed. 2. Francq. 1713. Ejusd. Obss. miscellaneæ ad loca quædam cum N. F. tum cæterorum scriptorum græcorum ibid 1707. Georg. Raphaelii Adnotationes historicæ in V. et philologicæ in N. T. ex Xenophonte, Polybio, Arriano et Herodoto collectæ Lugd. Bat. 1747. 2. Tom Tandem Georg. David. Kypke Obss. sacræ in N. F. libros. Vratisl. 1757. 2. Tom.

nostris libris sermo est, ita ut sicubi, in illis certe idem usus græcus præsto esse debeat. Ut dicta nostra exemplis quibusdam confirmemus, hæc sunto: Quid sit κρισις Mt. 5. 21; quid αρχιερεις sibi velint; quid veniat nomine βασιλικος Joh. 4. 26.; quid denotet εφημερια Lc. 1, 17. quale festum indicetur vocabulo εγκαινια Joh. 10, 22. denique quid sibi voluerit author actuum 27. 9. dicendo: δια το και την νηςειαν ἤδη παρεληλυθεναι; non nisi per ipsos plane atque perspicue edocemur. Sic enim ex Antt. 4, 18. 14. it de B. J. 2, 20. 5 discimus, κρισιν denotasse Judæis eo tempore magistratum e septem personis compositum, et in quavis urbe provinciali residentem, qui de causis minoribus cognoscebat; ex Antt. 15, 3. 1. aliisque locis summos Pontifices ea ætate sæpius tum ab Herodibus, tum magis adhuc a Procuratoribus Romanis fuisse depositos, sed ita tamen, ut deposito adhuc prioris dignitatis titulus relinqueretur; ex Antt. 7, 15. 7. εφημεριαν designasse eam sacerdotum classem, quæ per hebdomadam templi ministerio fungebatur; βασιλικον hominem aulicum denotasse ex permultis Josephi locis docuit Krebsius in suis Obss. Flavianis pag. 144. εγκαινια, quod profanis scriptoribus de quocunque festo venit, Philo docet Judæis usurpatum fuisse de festo dedicationis, quod incidit in 25 Cislev; unde mox lucem

capit locus Johannis, qui sine hac notitia obscurus persisteret. Idem denique in Vit. Mos. docendo ἡ νηςεια (cf. Syr. צומא) Judæis usurpatum esse de festo expiationis, quod in decimum Tischri i. e. Octobris incidit, quo navigatio in mari mediterraneo admodum periculosa redditur per turbines tum sæpius enascentes, egregie illustrat l. c. Act, ut primo intuitu cuivis patebit. Ad adjuvandum hunc eorum usum proderunt Læsneri Obss. ad N. T. e Philone Alexandrino Lips. 1777. Adam. Fr. Kuhnii Spicilegium Læsneri Obs. in N. T. e Philone Alexandrino ibid. 1785. it. Dahlii Chrestomathia Philoniana Vol. 2. Joh. Tob. Krebsii Obss. in N. T. e Fl. Josepho Lips. 1755.; denique Ottii Excerpta ex Fl. Jos. ad N. T. illustrandum.

B) de Fontibus, qui præcipue inserviunt ad usum bibl. peculiarem cognoscendum.

§. 58.

Ad hos pertinent α) Patres græci.

Licet Patres græci pariter ac scriptores profani inserviant dictionibus N. T. græcis in ge-

H 2

*) Eos præterea inservire ad inveniendum seu illustrandum usum hebraisticum, eo quod LXX. sensum nonnunquam egregie exprimant, jam supra observavimus.

nere illustrandis, eos tamen a reliquis secernendos propterea putamus, quia eorum ope, in specie demum, rite cognosci possunt termini religioni Christianæ proprii. Qui uterque eorum usus uti sponte sua ex natura rei intelligitur, quam plurimis exemplis comprobatur tum in Schleusneri Lexico græco N. T., tum in Sigismundi Baschii Diss. de interpretatione N. T. ex Patribus apostolicis Lips. 1726. it. in E. A. Frommanni Interpretationibus N. T. ex Hippolyto collectis Coburg. 1765. item ex Irenæo Part. I. et II. ibid. 1766. Denique in ejusd. Obss. ad interpretationem N. T. ex Clemente Romano Part. I et II. ibid. 1768.

Præcipuo subsidio erunt interpreti Joh. Caspari Sviceri thesaurus ecclesiasticus e P. P. græcis ed. 2da. emendat. Amstel. 1728. Tom. 2. Fol. et Car. Ludov. Baueri Glossarium Theodoreteum, quod habetur in fine omnium Theodoreti Opp. in 5. Tom. 8. maj. Hallæ 1769 — 74. editorum.

§. 59.

β) *Scholiastæ et Glossatores.*

Ex eadem causa, ex qua PP. græcos, etiam Scholiastas et Glossatores hic demum subnectimus, quia nimirum præter ea, quæ faciunt ad usum græcum communem explicandum, etiam

ea continent, quibus Christianus usus illustratur. Sed quum de eorum usu et cautione in eo adhibenda jam satis supra §. 29. diximus, non superest hic nobis, nisi ut eos recenseamus, qui cæteris fere præstant, dein ut exemplis quibusdam tum præstantiam tum vitiositatem eorum ostendamus. Præcipui usus jam vero sunt a) Hesychius, qui probabilius circa annum 399 floruit, siquidem auctor est glossarum ſs. eæque non ab alio insertæ sint, de qua re consulendus est Fuhrmann in Hdb. d. class. Literat. V. II. p. 117. sqq. b) Suidas, qui juxta eundem ef. l. c. p. 151. circa annum 975 floruit, quo Johannes Zemisces, græcorum Imp., qui sub articulo Αδαμ commemoratur, fatis functus est. c) Phavorinus, qui e Camerino in Umbria oriundus, anno 1537. mortuus est. d) Author Etymologici M., qui coll. Fuhrmannio l, c. p. 156. ad finem sæc. X. vel certe ad initium Sæc. XI. floruit. Glossas ſs. in hisce comprehensas peculiari libello complexus est Ernesti, cui titulum fecit: Svidæ et Phavorini Glossæ Sacræ cum spicilegio glossarum Ss. Hesychii et Etymologici M. congessit et notis illustravit Joh. Christ. Gottl. Ernesti. Lips. 1781. 87. — His adjungi merentur: Glossarium græcum in Ss. N. T. libros ex Mss. editum, notisque illustratum a Joh. Alberti Lugd. Bat. 1735. Glossæ in epp. Paulinas, quæ prostant in Chr.

Fr. Matthæi glossariis græc. et aliis anecdotis Moscov. 1774. 75. Tom. I. p. 95 sqq. Denique glossarium parvum it. epp. app. in ejusd. Lection. Moscov. Tom. II. pag. 60 sqq.

Scholia notabiliora congesta sunt in sequentibus duobus operibus: N. T. una cum scholiis græcis e græcis Scriptt. tam eccles. quam exteris maxima ex parte desumtis, opera et studio Joh. Gregorii Oxon. 1703. Fol.; et: N. T. XII. tomis distinctum, gr. et lat. textum denuo recensuit, varias lectt. nunquam antea vulgatas — collegit — scholia græca maximam partem inedita addidit — et edidit Christ. Frid. Matthæi. Rigæ 1788.

Exempla utriusque generis, quæ promisimus, hæc sunto; et quidem prioris: αρχη γραμματος, quo Hesychius vocabulum κεραια Mt. 5, 18. egregie explicat; ac quod contextui satis convenit, quin tamen suspectum sit, vel ex eo ipso vel ex etymologia repetitum esse; item πολυλογια, quo Svidas Mt. 6, 7. βαττολογειν; μολυναι, quo idem ibid. v. 16. αφανισαι; et denique ανεχωρησε, quo Schol. Eurip. Joh. 5, 13. εξενευσε explicat, ac quæ ex iisdem rationibus oppido adprobanda sunt. Alterius generis est explicatio adjectivi επιουσιος Mt. 6, 11. per dies crastina quam Svidas præbet, quia suspecta est, ne ex sola verbi επειμι, quod significat succedere, etymologia repetita sit, item Phavorini Glossa ἡ συλλογη, qua

λογια 1. Cor. 6, 11. illustrat, quia adjecta verba ἡ συλλογη παρα τῳ αποςολῳ, και το εκ πολλων συνειςφερομενον svadent, unice ex contextu loci eam petitam esse.

§. 60.

γ. Scriptores biblici ipsi.

Quæ quilibet Scriptor N. F. sibi peculiaria habet in usu certarum formularum vel in unius præ altera significationis consvetudine, ea plane non aliunde, quam ex quolibet singulo scriptore illustranda erunt, nec Paulum v. g. ad Johannem aut vicissim exigere licebit. Eorum usum autem non ad hæc sola restringendum, sed ex iis invicem quoque illustrationes tum usus communis sive hebraici sive græci, tum etiam Christiani in specie petendas, imo, quæ inde discuntur, optimas censendas esse, vix monendum est, quum ipsi tum quoad ætatem tum quoad patriam tum quoad religionem pares existimandi sint. Quumque haud raro accidat, ut quæ alter obscure aut ambigue dicta habet, alter perspicue et præcise eloquatur, frequentissimus hic est eorum usus.

§. 61.

Consectarium.

Ex his, quæ de stilo N. T. dicta sunt; consequitur, eum, qui hos libros plene intelligere

velit (velle autem omnes debent) non tantum a græcæ et latinæ linguæ scientia instructum esse debere, sed et hebraicæ, imprimis aramaicæ, rabbinicæ et arabicæ. Ad quam consequendam jam vero præcipue commendanda sunt a) quoad indoles sermonis biblici orientalis est: grammatica hebraica Cl. D. et Canonici Jahn Ed. tert., Ejusd. aramaica et arabica; Severini Vater grammatica hebraica tum fusior tum brevior, cui etiam Syr. chald. et arab. conjuncta est; recentissima Grammatica arabica Cl. de Sacy mihi nondum in conspectum venit; porro Storrii Obss. ad analogiam et Syntaxin hebraicam; Leusden de dialectis et Hebraismis N. T., ad quem libellum accessit tractatus de adagiis N. T. hebraicis ed. Fischer.; Lexicon hebraicum vel Coccejo-Schulzianum, vel Simonis Eichhornianum, vel denique Gesenii Hebräisch deutsches Handwörterbuch; Syriacum Castelli ex edit. Michaelis, Buxtorfii chald. Rabb. thalmudicum et Golii arabicum; b) quoad græca est: Buttmanni Grammatica græca ed. VI.; Matthiæ ausführliche griech. Gramm. zum Schulgebrauch; Hermanni de emendanda ratione grammaticæ græcæ; Ejusdem Vigerus de Idiotismis linguæ græcæ et dissertatio de Ellipsi et Pleonasmo, quæ inest Vol. I. Musei studii antiqq. editi a Wolf et Buttmann. Adr. Klint vindiciæ articuli ὁ, ἡ, τὸ in N. T. Traj. at Alemar. Part. prior. Tom. I — III. poster.

Tom. I. II. 1768 — 71. Dresigii commentarius de verbis mediis N. T. Edit. 2da. Lips. 1792. Henr. Hoogeven doctrina particularum græcc., cujus epitomen animadversionibus auctam denuo edidit Chr. God. Schütz Lips. 1806. Noldii concordantia particularum græcc.; Dissens. L. G. de temporibus verbi græci et de constructione particularum ex modorum significatione constituenda. Joh. Fr. Fischers und des Herrn C. R. D. Heinr. Eberh. Gottl Paulus Bemerkungen über d. Bedeutungsvolle der griech. Præpositionen in den davon zusammengesetzten Verbis nebeneinander gestellt und beurtheilt von Chr. Fr. Fritzche. Leips. 1809. Schneideri Lexicon germanico-græcum. ed. 2. Fischeri Prolusiones de vitiis Lexicorum N. T.; Schleusneri Lexicon græcum N. T. ed. III.

Sectio II.

De inveniendo sensu per consilium orationis.

§. 62.

Usus loq. non sufficit ad sensum inveniendum; sed præterea spectari debet consilium loquentis.

Licet vero usus loq. primarium sit, quod ab interprete investigetur, eo tamen solo vix unquam, certe non semper acquiescere potest.

Quum enim usus non doceat, nisi quæ cuivis voci vel formulæ significatio subjecta sit, ea autem non semper una sit sed multiplex, nec omnimode determinata, ex eo plerumque non intelligitur, nisi quam potuerit loquens notionem spectare, minime vero quam voluerit, aut revera spectarit. Quum jam spectata notio ea sit, quæ certo orationis consilio, certoque loco respondet, necessario porro investigandum erit loquentis consilium.

§. 63.

Quid sit orationis Consilium.

Consilium in genere dicitur rei cogitatio, qua pro causa ejus rei efficiendæ utimur; hinc ergo orationis consilium erit ea cogitatio, qua pro causa orationis efficiendæ utimur, seu id, ad quod non modo singula orationis dicta collimant, sed ipsum quoque genus dicendi dirigitur.

§. 64.

Consilium orationis definit spectatam notionem vel sententiam loquentis.

Quodsi orationis consilium id est, quod modo diximus, non potest non fieri, quin multiplex et vaga vocabulorum potestas ad unicam per illud, satisque finitam notionem ubique restringatur; siquidem secus sumi deberet, lo-

quentem aut absque consilio prudenti quidpiam protulisse, aut eo excidisse, aut illud supergressum esse, aut quomodocunque demum ei defuisse, quod tamen in hominem sana mente præditum prorsus non cadit. Hinc jam statui poterit regula: eam notionem vel sententiam non admittendam esse, quæ consilio orationis prorsus non congruit, aut consilium poneret, quod in prudentem hominem non cadit, aut quæ inanem tavtologiam excitaret; notionem ipsam autem ultra terminos consilii minime extendendam, aut infra eos restringendam esse; in qua definitione regulæ observes velim, eam studio negative expressam esse, quia licet eo usque valeat, eam notionem vel sententiam seligendam esse, quæ consilio loquentis respondet, non eo tamen valet, ut statui queat, eam semper præferendam esse, quæ præ cæteris consilio orationis respondet, quum nullo modo præsumi queat, loquentem id semper intellexisse, et proin etiam voluisse, quod consilio certo maxime aptum est.

§. 65.

Id uberius adhuc ostenditur in concreto, per varias partes, quas usus loquendi indeterminatas reliquit.

Quod ut ita esse intelligatur, minime supervacaneum esse videtur, ut uberius adhuc in concreto ostendatur eundo per varias partes, quas

usus loquendi indeterminatas relinquit. Hinc primo ponimus, inde innotescere, quæ sit significatio ubique seligenda.

Quodsi enim vel summa persequimur, quæ homo in loquendo sibi proposita habere solet consilia, et quæ in docendo, movendo, et delectando versantur, vel inde jam poterit definiri, utrum tropice vel proprie sit explicandum. Qui enim v. g. docere i. e. facti, rei, doctrinæ, præcepti, aut ritus alicujus notitiam informare vult, is proprietate sermonis potius, quam tropico dicendi genere uti debebit, quia perspicuitatis eum studiosum esse oportet, quam citius propria, quam tropica oratione utens assequitur. Saltem omnibus difficilioribus tropis, et qui multum abludunt a sermone communi abstinere debebit *). Hinc non possum iis assentire, qui

---

*) Ut enim eos quoque tropos ab oratione didactica exulare jubeamus, qui, uti in permultis vocabulis obtinet, fere proprii termini naturam induerunt, aut ad capiendum sive ob frequentiorem usum, sive ob rerum, unde petiti sunt, summam familiaritatem, ita sunt faciles, ut vel rudissimus quoque eos intelligat, nulla est sufficiens ratio; imo quæri potest, an non propriis terminis ejusmodi troporum loco substitutis sermo magis obscuraretur. Hinc ejusmodi troporum exempla, si quis nobis obtruserit, tanquam ea, quæ in sermonibus didacticis quoque librorum nostrorum occurrant, nos prorsus movere non poterunt, nec alia facile quis

v. g. M. 28, 19. βαπτιζοντες Joh. 20, 22. sq. quorum remiseritis peccata &c. M. 26, 26. hoc est corpus meum &c. tropice interpretantur. Eodem modo in didactico dicendi genere non erit interpretatio admittenda, quæ loquentem eum sisteret, qui voluisset auditores ludere; veluti cum ea se habere videtur, quæ πνευμα ἁγιον Joh. 14 — 16 de ordinario providentiæ auxilio capit.

E contra autem tropi etiam insolentiores, et in genere significatus rariores non alieno loco sunt, ubi in movendo aut delectando versatur oratio; si loquens svaviter adficere vult lectoris animum aut ad sublimiores sensus eum rapere, ubi acumen intendit, aut mentem suam magis celare quam manifestare studet.

§. 66.

Continuatur eadem materia.

Porro peculiarem mentionem mereri videtur, inde unice cognoscendum esse, an loquens verborum significatus immediate; an vero me-

---

deprehenderit, dummodo adhuc observet, difficultatem tropi non e nostro loco, sed ex eorum lectorum statione, moribus, ritibus et consvetudine metiendam esse, quibus libri nostri proxime destinati sunt.

diate spectarit. Nescio, quare quidam adlaborarint, sensus mediati, qui etiam symbolicus vel typicus dicitur, veritatem operosius comprobare. Manifesta etenim res est, tale dicendi genus Orientis in moribus positum fuisse, et insuper disertis testimoniis demonstrari potest. cf. Cl. Prof. et Canonici &c. Jahn Enchiridion Hermenevticæ generalis p. 41. sqq. Ast in eo cardo rei vertitur ut definiatur ubi istud obtineat. Atque hic, nisi manifesta indicia accesserint, non alia regula statui poterit, quam ibi sensum mediatum suscipiendum esse, ubi secus loquens imprudens, et sano consilio destitutus sumi deberet. Hinc nemo dubitaverit v. g. Ez. 12. sensum mediatum statuere; nec longe absum ab eorum sententia, qui ritibus festo expiationis ad observandum præscriptis sensum typicum subesse statuunt, quia secus Moses haud a pugna secum ipso excusari posset.

§. 67.

Continuatur.

Tertio inde cognosci potest, quænam partes orationis ad sententiam ipsam pertineant, quænam vero ad solam elocutionem referrendæ sint. Quilibet cultior enim non modo nude docere vult, sed plerumque etiam bene ornateque dicere studet, quæ pro diversa hac ratione dicta qui confunderet et perinde haberet, ineptissimas,

absurdissimasque interpretationes in medium proferret, quod infra uberius adhuc videbimus, ubi de allegorico, symbolico &c. dicendi genere dicturi sumus. Undenam jam vero sæpe sæpius interpres intelligat, quæ ad hunc vel illum finem pertineant, nisi inde, quod dicta hoc vel illo modo spectata prudenti consilio respondeant, secus autem non respondeant?

§. 68.

Continuatur.

Quarto: queis limitibus constringenda vel vero deducenda sit aliqua sententia vel notio. Utrum dicta loquentis de universis, vel quibusdam, vel singulis partibus valeant; utrum absolute vel comparative, relate ad certum terminum capienda sint; utrum consilii vel præcepti vim habeant; utrum assertionis vel illustrationis, adplicationis, vel allegationis rationem præ se ferant; utrum singuli termini angustius vel latius accipiendi sint; quousque demum tertium comparationis pateat, et quæ sunt similia, præprimis ut assequatur interpres, studeat oportet. Hujus autem rei minime sive ignarus, sive de ea incertus esse poterit, si quod fuerit orationis consilium, accurate satis cognitum perspectumque habuerit. Sic v. g. facillime sibi persvaserit Mt. 19, 18. sqq. de omnibus viri

boni officiis; 1 Joh. 2, 20. autem de sola veritatum religionis notitia intelligendum esse, quum Jesum ibi exemplicative versari voluisse; hic vero ad solas religionis veritates obtutum suum direxisse, haud quemquam latere possit.

§. 69.

Continuatur.

Quinto denique, si interpres intellexerit, loquentem ex concessis disputare, aut *κατ' ανθρωπον* voluisse argumentari, inde resciet, quod iterum cognitu gravissimum est, eum non e sua, sed ex aliorum sententia dixisse. Idem porro saltem præsumet, si eum in refutando versari videt, quia non modo licet in hac causa alterius persvasione niti, sed finis errorem corrigendi plerumque felicius obtinetur, oppugnando eum ex principiis, quæ quis ipse tenet, quam ex objectivis rationibus; uti vicissim, loquentem e sua sententia dixisse, ubi in demonstrando, vel asserendo versatur.

§. 70.

Unde Consilium loquentis cognosci queat.

Quæ cum tanta sint, quæ a consilio loquentis pendent, accuratissima ejus et ex omni parte finita cognitio informanda erit; et quidem ubi illud, quod universo alicui libro propositum

est, summe generale, et ex variis partibus compositum est, non suffecerit, illud solum nosse, sed et cujusvis partis speciale seu proximum consilium cognitum habere oportebit, quia illud plerumque longius distat a singulis dictis quam ut ex eo satis definiri queant; e contra autem a proximo consilio dicta immediate pendent. Id quod præprimis quoad libros biblicos necessarium est, inter quos sunt, qui quoad materiam diversissimi generis partes propter solam unitatem formæ conjunctas comprehendunt, veluti in Proverbiis, Psalmis &c. &c. obtinet. Cognosci autem vario modo potest; atque, ut ad aliquem saltem ordinem hanc rem redigamus, distinguimus pro eo, ac vel oratio continua vel singula modo dicta, vel plures orationes nobis præsto sunt, quæ in comparationem venire possunt.

A. In oratione continua cognoscitur;

§. 71.

a) *ex diserta loquentis declaratione.*

Haud raro accidit, ut quis, quid sibi in oratione continua propositum haberet, ipse sive ad initium veluti Lucas I. 1,, 4. et hinc inde authores Psalmorum, aut propheticorum oraculorum, sive ad finem, veluti Joh. 20, 31. sive denique in media oratione, veluti Paulus ad

Rom. 3, 28, disertis atque indubiis verbis annotet; imo nonnunquam, veluti in parabolis aut visionibus plane contingit, ut singulis partibus significativis manifesta interpretatio adjungatur. Quod ubi fit, declarationi ejusmodi, ni νοθειας suspecta sit, veluti inscriptiones quædam, tanquam indubiæ notitiæ firmissime innitendum, imo in postremo casu regula statuenda erit, nullam partem ceu significativam habendam fore, quæ adjuncta interpretatione destituta sit.

§. 72.

b) *ex unius generis reflexionibus.*

Ad instar disertæ de consilio declarationis ab ipso authore profectæ, etiam habendæ esse videntur sæpius recurrentes ejusdem tenoris reflexiones. Eæ enim vel prorsus abessent, vel non sæpius et statis veluti intervallis recurrerent, aut variarent magis, nisi certa aliqua notio vel sententia per integrum orationis decursum loquenti ob oculos versata, ad eamque singula dicta ab eo relata fuissent. In hac sententia vel maxime eo adhuc confirmamur, quod ubicunque præter ejusmodi reflexiones diserta scopi declaratio habeatur, accuratissimus inter ea consensus deprehendatur; veluti in Johannis Evangelio reflexiones 2., 11. 22. 24. sq. 6,

64. 71. 7, 30. 12, 16. 37 — 41. 18, 9. 32. 19, 36. ad eundem scopum deducunt, qui 20, 31. manifestis verbis indicatur. Unde procul dubio quoque statui potest, consilium librorum Regum et chronicorum fuisse docendi, omnia evenisse e norma Theocratiæ, quum ad finem cujusvis regis pro eo, ac felicia aut tristia fata sub eo passum fuit regnum, observatur, vel eum sese gessisse e præscripto legis Jehovæ, vel vero non; eodem modo Matthæum voluisse demonstrare, Jesum fuisse verum Messiam nec alium expectandum, quia quacunque occasione data oracula V. F. excitat, ex quibus pateat caracteres Messiæ per ea indicatos convenire Jesu, nec quidpiam eorum, quod ei contigit, a sorte Messiæ alienum esse. E contra autem vix statui poterit, consilium Actuum app. fuisse defendendi Paulum a criminatione Judæorum, quæ erat, eum contemtorem esse legis; quia observatio, ipsum ubique ab initio ad Judæos, et repudiatum demum, ab ipsis ad gentiles se convertisse, vel similes huic, a satis magna, ni plane dicam, a majori libri parte absunt.

§. 73.

c.) *ex fide digna aliorum relatione.*

Uti hodie, qui consilium suum, quod per librum aliquem consequi studet, quibus demum

cunque causis inductus, non diserte in libro ipso exprimit, illud tamen familiari alicui facile significat, ita id ipsum prioribus quoque ætatibus accidisse, magnopere opinabile est. Quodsi vero ejusmodi illud, mutatis forte circumstantiis, palam facit, hæc relatio omni fide digna imo propriæ declarationi æquiparanda erit. Sed quum suspicio tamen sit, ne ejusmodi notitia ex lectione libri potius proprio adhibito judicio collecta, quam ex diserta loquentis ipsius vel scribentis significatione hausta sit; quæ suspicio vel maxime confirmatur eo, quod relationes ejusmodi haud raro dissentiant ab argumento libri, vel repugnent historicis authoris adjunctis, quod ita se habet cum permultis Psalmorum vel propheticorum oraculorum inscriptionibus, et etiam cum Irenæi relatione, quam præbet L. III. adv. Hær. c. 11. de scopo Evangelii Johannis, non sine severissimo examine, imo vix unquam solæ, sine accedente internorum argumentorum suffragio, admittendæ erunt.

§. 74.

d) *ex occasione sermonis.*

Ut homo certum quoddam consilium capiat, plerumque induci solet certis quibusdam circumstantiis, quibus ad dicendum, et hoc vel illud dicendum determinatur, sive sint dubia, quæ

removeat, sive vitia, quæ corrigat, sive vota, quibus satisfaciat, aut mœstus et veluti desperabundus animus, quem erigat &c. quæ, quæcunque demum sint, occasio sermonis dicuntur, et proin cognitæ non possunt non loquentis consilium aperire. Sic qui cognitas habuerit quæ Paulo allatæ sunt de Corinthiis relationes, et quæstiones tenuerit, quas ipsi ei per literas proposuerunt, is non modo universum ep. 2. ad Cor., sed singularum plane ejus partium consilium habebit cognitum. Non voluisse Jesum Mt. 6, 9. sqq. symbolum fidei præbere, ratum erit omni, qui Jesum per preces cujusdam adolescentis, ut ipsum edoceat formulam precandi Luc. 11, 1. sqq. ad istum sermonem inductum esse sibi persvaserit; et ratio cur nonnunquam hæreamus in hoc vel illo Psalmo interpretando, ejusque consilio determinando, persæpe non alia est, quam quod nos lateant circumstantiæ in quibus compositus est.

§. 75.

Occasio sermonis nonnunquam immediate pandit sensum.

Verum non modo sic mediate, aperiendo sermonis consilium, occasio interpretem juvat ad sensum inveniendum, sed haud raro immediate quoque pandit singulorum dictorum sen-

sum. Quod enim de toto valet cf. §. præc. de parte quoque valere debet. Et primo quidem satis feliciter sæpe ejus ope determinari potest, quæ sit significatio seligenda, quæ vero repudianda. Sic Joh. 7, 17. non interpretandum esse, an ego mei ipsius studio loquar, sed, an ex mei ingenii viribus loquar, seu a me inventa tradam, satis manifestum reddit occasio sermonis, ac cui non alia nisi postrema interpretatio convenit. Pro eo ac distinguitur inter occasionem principalem et accidentalem, hæc porro regula statui potest, explicationem, quæ respondet verbis ad occasionem principalem relatis, ac quæ eminentius animo obversatur, præferendam esse ei, quæ eadem verba ad dicta per incidens refert. Hinc multo probabitior videtur eorem interpretatio, qui Joh. 5, 23. de religioso et divino cultu intelligunt, quam eorum, qui de politico legati cultu interpretantur, eo quod legati notio ex incidenti tantum in sermonem ingredi videtur. — Præterea inde innotescit, quinam sint dictorum termini vel limites, quum tam parum sumi queat loquentum voluisse ultra occasionem sermonis egredi, quam parum sumi potest eum voluisse aliquid innuere, quod consilium egrederetur. Hinc ergo quæ Jesus Mt. 19. dicit de solutione vinculi matrimonialis in casu adulterii, ad solos Judæos restrin-

genda esse existimo, quia eorum dicendorum occasio fuit objectio a Pharisæis proposita atque ex lege Mosaica repetita; e contra autem concionem montanam non ad solos apostolos pertinere existimo, quia Lucas 6, 17. sqq. Jesum ad eam habendam inductum esse sistit, conspecta ingenti discipulorum, et populi multitudine ad eum confluente.

Accedit; ubi quis sine externa occasione, adeoque proprio motu ad dicendum inductus est, statui poterit, ea, quæ sic dicta sunt e propria potius loquentis ipsius sententia, quam ex aliorum persvasione dicta esse; quia secus ratio nulla pateret, cur diceret, et hæc vel illa diceret. Hinc mihi persvadere non possum, Jesum Joh. 5. sua sponte dicendo de resuscitatione mortuorum, et judicandis ab ipso in fine mundi hominibus, sese accomodare voluisse opinionibus Judæorum.

Denique pro eo ac dictum aliquod occasioni principali respondet, vel vero ex incidenti prolatum adparet, pro eo etiam locus ejusmodi vel classicus habendus est ad cognoscendam loquentis sententiam, vel vero non.

§. 76.

Qua ratione occasio sermonis cognoscatur.

Quum pro his non posset non obscura, aut plane falsa existere interpretatio, ignorata vel

perperam definita sermonis occasione, patet, omne studium adhibendum esse, ut vera ejus cognitio comparetur. Dubium vero esse nequit, quæ ea fuerit, si propriis verbis loquens ipse, aut qui ejus sermoni interfuerunt, eam commemorant. Hinc Evangelistis occasiones sermonum Jesu commemorantibus plena fides erit adhibenda; inscriptionum e contra quæ Psalmis vel propheticis oraculis præfixæ sunt, fides tamdiu suspecta erit habenda, donec de γνησιοτητι earum constet. Ubi ejusmodi relatio nulla obtinet, nil superest, nisi ut dicta comparentur cum aliunde notis circumstantiis temporum, cum moribus, aut placitis certæ ætatis, et quibus congruunt ex illis, ea ipsa sermonis occasio fuisse statuantur. Quomodo; quæ principalis, quæ vero incidens occasio fuerit, dignoscatur, ex mox dicendis patebit.

§. 77.

e) *ex substrata materia.*

Substrata materia dicuntur singula orationis continuæ dicta, quatenus ceu partes vel inhærentes vel consequentes aut integrantes unius generalis notionis vel sententiæ se habent. Quæ cum ita sint, sua sponte patet, ex materia substrata certissime consilium orationis cognoscendum esse, quia consilium recte dicitur ea notio

vel sententia, ad quam singula dicta convergunt. Nec antea igitur se tenere quis putet orationis consilium, donec hanc singulorum dictorum ad notionem aliquam generalem rationem assecutus sit, et docere queat, hæc vel illa non, sed longe alia dicenda fuisse, si hoc vel illud statueretur orationis consilium fuisse, ad eamque ceu ad lapidem Lydium revocabit quamcunque aliorum de consilio loquentis relationem. Hinc ergo omni cum certitudine statui potest Johannis consilium fuisse 2, 1. miraculum describendi, minime vero, specimen duntaxat singularis, quæ in Jesu conspicua erat, humanitatis delineandi; quia cuncta opportuna sunt, si ad miraculosi facti descriptionem referuntur, e contra autem plura abesse possent, imo dicta quædam veluti: quid mihi et tibi hæc, mulier, curæ sint &c. altero illo scopo supposito abesse deberent. Eodem modo certe Lucas Act. 2. haud adeo solicite enumerasset diversas nationes, quæ apostolos suis linguis loquentes audiverunt, certe autem Galilæos a numero admirantium exemisset, si id modo voluisset, apostolos præter omnium expectationem fervidissimas preces fudisse, vel alia quam sacra lingua in docenda religione usos, vel oracula V. F. ad sensum christianum interpretatos; et non potius, eos revera diversis linguis locutos fuisse. Sic tandem plurima a

concione montana abessent, alia vero permulta, quæ Mt. cp. 10. continentur, ei inserta fuissent, si Jesus eam ceu sermonem initiatorium ad munus apostolicum spectari voluisset. — Singulari in hac re judicii subsilitate opus esse, ad consilium orationis ex materia substrata inveniendum, illaque sola, non præceptis adjuvari posse interpretem manifestum est.

§. 78.

Ex materia substrata immediate quoque sensus cognosci potest.

Cum, quæ conveniunt uni tertio, conveniant quoque inter se, singula dicta immediate quoque ad substratam materiam exigi poterunt, ex eaque illustrari. Et profecto inde sæpius feliciter determinatur α) quæ præ cæteris significatio obtineat veluti Hag. 2, 7. בָּאוּ חֶמְדַּת enim non reddendum esse: veniet desideratus cunctis gentibus i. e. Messias; sed: adferentur templo largissima et pretiosissima dona, ex quibus splendidius illud, atque angustius pro desiderio vestro exurgat, satis docet substrata materia, ac quæ tota versatur circa templi magnificentiam. Eodem modo haud arridere poterit explicatio, quæ ιδιας επιλυσεως 2. Petr. 1, 20. ad lectores refert, et de arbitraria interpretatione accipit, quia coll. v. 19. Petrus non de

falsa perversaque oraculorum interpretatione, sed de eorum obscuritate dixerat; uti etiam v. 21. id agit, ut doceat, cur vates clarius atque apertius loqui non potuerint. β) quibus terminis dicta contineantur. Quis enim dictum Paulinum 1. Cor. 9, 20. omnibus omnia factus sum: de accommodatione ad sententias, placitaque gentilium vel Judæorum intelligendum esse contendat, quum de sententiis placitisque ibi nulla prorsus mentio fiat, sed de commodis unice, quæ apostolus sibi subtraxit, et de incommodis, quæ in se suscepit, ut nemini molestus esset, aut offensioni, eaque re impediret, quo minus ad sacra christiana accedat? γ) denique inde definiri potest, quæ ex professo, quæ vero ex accidenti tantum dicta sunt. Quæ nimirum ita comparata sunt, ut ad constituendam notionem seu sententiam generalem loquenti propositam ceu pars essentialis vel integrans saltem pertineant, ea ex professo: quæ vero salva sententiæ seu rei propositæ integritate abesse possunt, et rationem sufficientem in singulis modo dictis habere intelliguntur, ea ex incidenti dicta censenda erunt.

§. 79.

f) *ex dicendi genere.*

Uti ex materia substrata, ita etiam ex dicendi genere consilium cognosci potest; quum

loquens non modo dicenda, sed etiam ipsum dicendi genus consilio suo attemperare, atque aliud ac aliud pro ejus diversa ratione seligere soleat. Quod jam vero dicendi genus cuivis consilio aptum sit, quibus regulis quodvis eorum dirigatur ex theoria stili, ex rhetoricis et poeticis disciplinis discendum, a nobis vero ceu notum supponendum est. *) Ast non penitus tamen præterire licebit ea dicendi genera, quæ scriptoribus biblicis, ni peculiaria, saltem præ cæteris familiaria sunt. Inter hæc autem referenda esse existimo allegoricum, symbolicum et parabolicum, gnomicum et mythicum dicendi genus.

---

*) Quos melioris notæ de his disciplinis libros novi, sunt sequentes: Sulzers Theorie d. schönen Künste u. Wissenschaften in alphabet. Ordnung 1792. sqq. Part. 5. Schotts Theorie der Beredsamkeit Lips. 1809. Clodius Entwurf einer systematischen Poetik. Lips. 1810. quibus ex antiquioribus jungi merentur: Lowthii. De poesi sacra Hebræorum, Herders Geist der Hebræishen Poesie; Tzschuckii Commentar. logico rhetor. de sermonibus I. C., et C. L. Baueri Rhetorica Paulina. Præterea attendenda erunt, quæ desuper in specialibus Introductionibus traduntur.

§. 80.

De allegorico dicendi genere.

Allegoria est continuata metaphora, in qua proin cogitatio spectata non immediate sed mediante similitudine vel imagine indicatur; unde autem simul patet, quæ interpreti in ea interpretanda attendenda sint. Quippe primo accuratam notitiam sibi comparet oportet ejus rei, unde similitudo petita est; dein indaget, in qua parte similitudo sita et quoadusque ea spectata sit a loquente. Priorem notitiam ei præbebit natura rei, archæologia, historia &c. alterum subtiliori judicio præditum facile docebunt partim jam commemorata, partim adhuc commemoranda adminicula hermenevtica, eoque facilius id ipsum intelliget, ubi, prout moris est orientalibus, res comparata ipsa in comparationem ingreditur, et quasi cum hac commiscetur. Sed vel propterea interpreti omnis opera danda erit, ut certior fiat, utrum, aut quæ dicta loquens allegorice vel proprie intelligi voluerit; monendusque erit, ne promiscue nitatur regula, quam Ernestius proponit in institut. Interpret. P. I. Sect. II. c. IV. §. 14. quæ est: tropum suspicari licet in singulis partibus aliquam cum universa allegoria connexionem habentibus. Equidem minime mihi persvadere possum, ea,

quæ Joh. 6. inde a v. 51. dicuntur, tropice intelligenda esse, etiamsi cum allegoria præcedenti arctissime connexa esse minime negandum sit.

§. 81.

De symbolico et parabolico dicendi genere.

Ad allegoricum dicendi genus quam proxime accedit Symbolicum atque parabolicum dicendi genus, quæ ut eo conveniunt, quod quodvis figuratum dicendi genus sit, ita eo differunt, quod alterum utatur signis naturalibus veluti actionibus descriptis, alterum vero arbitrariis seu verbis. Symbolica nimirum repræsentatio est descriptio actionis significativæ; parabola autem est narratio significativa sive ea vera sit sive ficta, seu aliis verbis, est repræsentatio doctrinæ vel rei certæ per veram aut fictam narrationem. Id vero non tale est quod discrimen quoque efficiat in interpretandi ratione, sed in utroque potius una eademque via ingredienda erit. Uti ibi actio descripta, ita in parobola narratio non propter se ipsam, sed utroque modo ceu signum alterius cujusdam cogitationis spectatur; quod igitur, ut ab interprete quoque attendatur prorsus est necesse, ne inepta aut inficeta fiat interpretatio. Quænam vero partes

ad sensum, quæ vero ad elocutionem seu vividam svavioremque cogitationis repræsentationem modo pertineant, dijudicari ibi non difficulter potest, ubi consilium parabolæ, vel significatio actionis Symbolicæ conceptis verbis subjecta habetur, et multo adhuc minus, ubi singulis plane partibus significationis quædam notatio adjecta est, quod v. g. fit Mt. 13, 3. sqq. it. Ez. 12. 10. sqq. aut denique ubi saltem occasio, quæ opportunitatem fecit parabolæ vel Symbolicæ actioni, notata est veluti Luc. 7, 41. 10, 30. 15, 1. sq. 19, 11. Ubi vero expressa ejusmodi indicia desunt, omnia pendent a subtili interpretis judicio, quo definiat primo, quæ partes salva sententia abesse possint, quæ ad probabilitatem narrationis adjuvandam, vel ad vividam actionis descriptæ imaginem efficiendam unice pertineant; quæ vero salva sententia abesse nequeant, aut plane narrationem qua talem improbabilem redderent; dein quænam illis contineatur sententia, aut res depingatur. Sicubi viderit omnes partes pertinere ad sententiam, quod, quo minus fiat nihil prohibet, neque vereri debebit, eas omnes ceu significativas habere, imo peccaret, si secus faceret. Id v. g. in parabola Mt. 22, 1. sqq. omnino ita se habere videtur; e contra autem in parabola de filio perdito, quæ habentur de

stola prima, de annulo de vitulo mactato &c. ad solum ornatum pertinent. *)

§. 82.

De gnomico didendo genere.

Orientales libenter solent universa per singula repræsentare, et pro eo, quod omnino valet, singularem causam commemorare. Id præcipue obtinet in proverbiis, in gnomis, et propterea etiam istud dicendi genus gnomicum adpellatur, Quod vero, sicubi obtineat, nosse, et simul intelligere in singularibus non esse acquiescendum, sed ad universa assurgendum, unum idemque est. Prius autem plerumque vel forma dicti peculiaris indicat, aut certe consilium loquentis docet. — Qua ratione universalis sententia ex dicto singulari invenienda sit, præceptis doceri nequit; sed hæc res tota iterum pendet a subtilitate judicii; quæ universa in singulis ad rationem consilii, cuivis ea prædito

*) Vocabulum parabola in S. scriptura diversas habet significationes et non semper istud dicendi genus denotat quod mox descripsimus, sed sæpius modo generaliter similidutinem, simile exemplum, comparationem, aut plane quodcunque figuratum dicendi genus, veluti proverbium ad instar hebraici משל significat. Id eo pertinet, ne quævis oratio, quæ hac voce designatur, juxta mox præscriptas observationes tractanda esse putetur.

ultro deteget. Quod forte adhuc monendum sit, est, sub universis hic nos non modo ea comprehendere, quæ stricte talia sunt, sed etiam ea, quæ communiter vel a potiori obtinere solent.

§. 83.

De mythico dicendi genere.

Vocabulum μυθος vel in significatione fabulæ, vel etiam de narratione in substantia quidem vera, sed in adjunctis tamen vario modo ex ingenio exornata veteres acceperunt. Verum in neutro isto sensu peculiariter a nobis spectari debet. Quatenus enim fabulam notat, eatenus de mythi interpretatione eadem valent, quæ mox supra de parabolarum interpretatione diximus. Quoad vero narrationem facti pro scopo habet, mythus non aliter nisi ceu vera historia interpretandus erit. Utrum vel quatenus veritate nitatur narratio, de eo non est, quod hermenevtica præcipiat. At recentiores alio adhuc sensu accipiunt, quo ceu peculiare dicendi genus spectatur. Definiunt nimirum mythum, symbolicam, historiæ formam præ se ferentem Ideæ alicujus vel problematis philosophici repræsentationem; distinguuntque inter philosophicum et historicum mythum, pro eo ac vel ideæ repræsentationem, vel facti aut sta-

tus cujusdam explicationem pro scopo habet. — Et omnino quidem eatenus differt a symbolico aut parabolico dicendi genere, quatenus istud ad ideas fere restringitur, aut factorum explicatione occupatur; at non adeo tamen, ut propterea peculiares interpredandi regulæ statuendæ essent; sed uti v. g. in parabolis, ita hic quoque unice monendus erit interpres, ne facti descriptionem qua talem spectatam esse, et verum factum subesse existimet, sed ceu adminiculum modo dijudicet, quo sensibus vel captui admoveatur veritas sensum transgressa, aut status certus explicetur. — Verum omnis cardo rei in eo vertitur, utrum illud sicubi in s. scriptura, et ubi obtineat, quia secus perperam veri facti narratio, et eodem quidem fine instituta, in nudam fictionem commutaretur, et quæcunque facta non essent ad placitum, hoc artificio e numero eorum eximi possent. Hinc jam vero patere debet, eam rationem non posse sufficere ad mythum statuendum, quæ inde depromitur, quod narratio aliqua ceu talis spectari possit, ut per eam idealis aliqua veritas repræsentetur, vel status quidam aut factum explicetur, quia hæc etiam veræ narrationis ratio non modo esse potest, sed solet quoque. Cum enim, qui perfectiones suas infinitas per mundi egregiam machinam, per pulcherrimum syderum cursum

per tempestatum et tonitruum phænomena manifestavit hominibus, cum, inquam, is idem non etiam veris factis usus sit, quibus religionis sublimiores veritates admoveret humano captui? An non secus fere periclitaretur revelationis veritas, si fictum deprehenderetur factum, cui illa superstructa, et quicum fere congressa est? Hinc ergo tam parum est; ut propter narrationis alicujus rationem istam negligatur factum, ut potius vel maxime intersit de ejus veritate inquirere, nec antea in fictis reponere licebit, nisi ubi expressis verbis author ipse indicat, non aliud ei in tali narratione struenda consilium fuisse, quam veritatem aliquam invisibilem ad captum deducendi; aut alia adsunt indubia fictionis indicia. *)

---

*) Non possum ab hac materia discedere, quin adhuc commemmorem regulam, cujus multiplex est in interpretando usus, et quæ non immerito huc referri videtur; nimirum: eam interpretationem esse præferendam, quæ cum constantia usus loquendi consentit. Ut enim eundem semper in certo loco usum polysemæ vocis vel formulæ observet teneatque loquens, præcipue ubi intra paucas lineas versatur, certe citius supponendum est, quam ut variarit; quum perspicuitati officiat tam repentina variatio, nec ullum in eodem servando usu artificium repositum sit, ita ut propterea peculiariter

§. 84.

De contextu consulendo

Quum membra orationis cum communi consilio, seu notione aut sententia, quæ loquenti per integram orationem proposita est, cohæreant, non possunt non inter se ipsa quoque cohærere; et quum nexus hic multo propinquior sit, et quasi proximam dictorum causam contineat, facile multo felicius non modo notiones earumque termini, sed et ea, quæ inde non cognoscuntur, ex hoc membrorum nexu mutuo intelliguntur. Nexus hic antecedentium et consequentium orationis series seu contextus dicitur, ejusque multiplex et varia est ratio. Vel enim se habent ut genus et species, subjectum et prædicatum, partes et totum, ut ratio et consequens; vel etiam sibi opponuntur, quæ est ratio logica; vel in similitudinis, temporis aut loci

---

demonstrandum foret, si alicubi secus statuendum sit. Id autem tamdiu non effici poterit, quamdiu eodem servato usu commodus sensus obtinetur. Hinc ergo αδικια Luc. 16, 9. certe per perfidia et κοσμος Joh. 1, 9. de terræ incolis interpretandum erit. Regula hæc vero non ultra extendenda, atque cum ea confundenda est, quam supra §. 78. ex Ernestio commemoravimus. Nam aliud est constantiam usus loquendi, aliud constantiam tropi servare.

ratione posita sunt, unde psychologici, historici et optici nexus species exurgunt, quarum quælibet vario modo interpretem adjuvat.

§. 85.

Quæ doceat nexus logicus?

Si contextus logici ea est ratio, quam diximus, non potest non fieri, quin inde potissimum cognoscatur, quæ significatio aut explicatio sit cæteris anteferenda. Quæ nimirum a cæteris speciebus ejusdem generis abludit, quæ sequenti alicui explicationi, aut opposito non congruit, aut loquentem non redderet consequentem, ea locum habere nequit: e contra autem ea, quæ antecedentibus et consequentibus congruit seligenda, atque si ita comparata est, ut huic membrorum rationi mutuæ unice conveniat, certissima habenda erit, etiamsi forte sufficientibus testimoniis confirmari nequeat, sed etymologia et analogia linguæ tantum nitatur; id quod *των ἁπαξ λεγομενων* explicationem satis firmo loco ponit. Exempla jam, quibus hæc ejus vis illustretur, hæc sunto *α*) ex V. F. מֵלִיץ esse interpretem per Gen. 42, 23., סָפִיחַ quod sine semente crescit, per Lev. 25, 5. et Jes. 37, 30. extra dubium collocatur. Porro לִוְיָתָן crocodilum denotare ex adjectis prædicatis

Job. 40, 25. patet. זְקַן בֵּית per subsequens הַמּשֵׁל בְּכָל־אֲשֶׁר־לוֹ explicatur. שֵׁבֶט Gen. 49, 10. non esse virgam tribulationis, sed sceptrum insigne potestatis, מְחוֹקֵק legislator in sequenti membro comprobat. Item נְצוּרֵי יִשְׂרָאֵל Jes. 49, 6. non esse vastatos sed stirpes et familias Israelitarum ex præcedenti membro שִׁבְטֵי יַעֲקֹב liquet. Vocem et sagittas Dei Ps. 77, 18. esse tonitrua et fulgura, membrum v. 19. ostendit. Jes. 14, 12. Luciferum esse regnum Babyloniae personificatum satis patet ex verborum consequentia; et denique Am. VI. — XI. aoristos primos de præsenti explicandos esse ex v. 12. colligitur, ubi aoristi secundi æque de præsenti usurpantur. β) ex N. F. πενθοῦντες Mt. 5. 4. potius accipiendum esse de lugentibus ob peccata sua, quam ob calamitates physicas, docet omnis reliquorum membrorum ratio, quæ omnia certam animi dispositionem commemorant, quæ hominem habilem reddit consequendæ felicitatis regni Messianici, Joh. 6, 51.: corpus meum cibus est, quod pro vita hominum tradetur; non proprie, sed tropice accipiendum esse; ex v. 55, adparet, in quo dicitur, corpus meum *vere* cibus est, et sanguis meus *vere* potus est; ὡς διὰ πυρός 1. Cor. 3, 13. tropice accipiendum esse, sequentia χρυσόν, ἀργύριον, λίθους τιμίους,

ξυλα etc. demonſtrant. Si Joh. 2., 18. sensus esset: quid hoc faciendo nobis innuis? auditores dictum Jesu: destruite hoc templum: non potuissent proprie intelligere. Porro λογος Joh. 1, 1. non abstracta sed concreta notione capiendum esse, ex v. 14. manifestum fit, ac qui de abstracto haud dici potuisset. Πνευμα αγιον denique Luc. 1, 35. non impulsum divinum, sed vim divinam denotare, non modo ex mox sequenti membro parallelo, sed simul etiam ex opposito v. 34. ubi habetur, quoniam virum non cognosco: patescit.

Præcipue inde definienda venit particularum potestas ac quæ in N. T. æque vaga est, ac in hebraicis particulis obtinet. Haud raro enim particulis mere copulativis connectuntur, quarum una nunc alteram explanat et illustrat veluti 1. Cor. 3, 16. Gal. 2, 20; nunc alterius conditionem subjicit veluti Mt. 18, 21. Luc. 10, 28. Joh. 6, 50. 16, 24. nunc alteri est contraria veluti Mt. 11, 19. Act. 10, 28. 1 Cor. 16, 12. 1 Thess. 2, 18. Hebr. 10, 38.; nunc comparationem cum altera innuit veluti Joh. 5, 17. coll. 19. 6, 57. Similiter enunciationes per particulas causales junctæ reperiuntur; quamquam non deprehendatur inter eas causarum nexus, sed potius aut item una alteram explicet veluti Joh. 7, 35. 16, 9. sq. aut una ex altera

colligatur, veluti Luc. 7, 47. Joh. 4, 22. 1 Cor. 10, 5. 11, 26. aut contrarium veluti Rom. 5, 7. 2 Cor. 12, 1. Phil. 3, 20. Hebr. 13, 22. vel comparatio, veluti 1 Cor. 1, 19. 3, 19. Hebr. 6, 7. vel sola fortuita conjunctio indicetur, veluti Mt. 23, 25. Joh. 4, 36. 5, 20. 9, 2. Mt. 10, 34. sqq. Aliis contra in locis causarum, qui vere est, nexus particulis subinde comparativis indicatur, ut Rom. 1, 28. 1 Cor. 1, 6. Eph. 1, 4. etc, — Eodem redit, quod ex contextu definiendum veniat, quænam ex pluribus similitudinibus, quæ possint obtinere, recte in certo loco spectata sit. Sic Mt. 5, 13. sal imaginem esse ejus, quod virtutem habet conservandi a putredine seu a corruptione; at Col. 4, 6. vero ejus, quod virtutem habet condiendi, seu grata sensione adficiendi animum, aut ad sublimiorem sensum attollendi, non nisi ex mutua antecedentium et consequentium ratione patescit. Idem valet de tropo lac, qui Hebr. 5, 12. est imago tenuitatis, 1 Pet. 2, 2. vero imago puritatis, prout diversa orationis series svadet.

§. 86.

Continuatur.

Porro idem manifestat, quibus terminis sint voces vel formulæ constringendæ; pro eo nimirum,

ac latius vel angustius acceptæ seriei orationis conveniunt. Quis enim aliter statuat? Sic Gen. 28, 14. בְּךָ non ad solum Jacobum restringendum esse quis dubitet, quum mox subjungatur וּבְזַרְעֶךָ; at e contra quis velit *απο παντος εϑνες των ὑπο ερανων* Act. 2, 5. pro omni sua universali vi accipere, qui spectaverit v. 9. in quo diversæ nationes, quæ præsentes erant, enumerantur? Eodem modo Act. 9, 32. *δια παντων* procul dubio pro v. 31. ad solam Palæstinam, minime vero Mc. 16, 20. *πανταχε* coll. v. 15. eodem restringendum erit. Εχομεν 2 Petr. 1, 19. pertinere ad solos apostolos v. v. 16. 18. et 20. docent. Terminis *χαρις και αληϑεια* Joh. 1, 14. pro oppositionis ratione, in qua cum v. 18. siti sunt, non alia erit notio subjicienda, quam perfectior religionis doctrina, quæ spem veniæ facit; et ex eadem patet, Jesu doctrinam v. 9. non ultra universalem prædicari, quam quatenus apta est, ut ubique terrarum suscipiatur, seu quatenus doctrina ejus non æque ac mosaica ad certos temporis aut regionis limites restricta est. Denique similitudines ab avibus et liliis agrestibus repetitas Mt. 6, 26. 28. non ultra spectatas esse, quam ut a *nimia* rerum ad vitam sustentandam necessiarum cura avocarentur apostolorum animi, an non recte colligatur ex *ολιγοπιςοι* ibid. v. 31.

Et in genere, utrum quis voluerit illustrare modo, vel declarare, aut vero demonstrare, utrum conditionate vel vero absolute intelligi, unde melius cognoscatur, quam ex mutua antecedentium et consequentium ratione juste inita?

§. 87.

Continuatur.

Quæ quis cogitando supplenda reliquit, non aliunde nisi ex orationis serie possunt cognosci. Quippe non omnes semper cogitatus, aut cogitatuum partes a loquente exprimi, sive, quia imperitior stili est, sive excitatiori animo præditus, qui impetu quodam, non continuo motu a proximis ad remotiores fertur, ommissis notionibus mediis, manifesta res est; quin imo usus sermonis jam ita fert, cujus rei constructio prægnans argumentum præbet. Atqui sine distincta tamen eorum quæ sic suppressa sunt, cognitione nec perspicua sensus ipsius cognitio habetur, aut haberi potest. Nisi jam vero in orationis serie quædam, utut obscura, eorum indicia continerentur, et v. g. vel tanquam necessariæ præmissæ supponerentur, aut ex oppositis intelligerentur, actum esset de eorum cognitione. E contra autem ejusmodi indiciis adjutus interpres facile magis distinctam cogitatuum cognitionem efficere poterit, ac quam ipse loquens in mente

habuit. Exempla hæc sunto: Joh. 3, 6. ad vocabulum σαρξ præter notionem hominis adjungendam esse notionem infirmitatis vitiositatisque, inde patet, quia secus non stringeret oratio. Ex eadem causa etiam formula εκ της γης, quæ ibidem v. 31. occurrit, et non modo de terrena origine, sed etiam de terreno sensu accipi debet. Joh. 4, 45. εδεξαντο reddendum esse: honorifice et lubenti animo eum exceperunt: opposita docent. Nisi in priori membro Mt. 12, 32. suppleas: ob tenuem suam conditionem: obscura tibi erit, nec stringet oratio ib. v. 28. ni sumas, in concessis fuisse: non nisi diabolica vel divina vi expellendos fuisse dæmones. Denique quis dubitet, ratione habita prægressæ orationis, Joh. 6, 62. et 63. sic efferre: Quid? anne adhuc vobis offensioni erunt, quæ de morte mea dixi, si gloriose me in cœlum ascendentem videritis? Aut ea, quæ de carne mea comedenda, et sanguine bibendo dixi; si declaravero, non crasso, sed spirituali sensu ea intelligenda esse?

§. 88.

Quæ contextus psychologicus?

Contextus psychologicus a nexu logico eo distinquitur, quod in illo nulla arbitrii vis, sed potius necessitas quædam cernatur, ex lege sic

dicta associationis idearum oriunda, naturæ humanæ altissime insita. Ex eo nimirum cogitatus se consequuntur, pro eo ac quondam invicem conjuncti fuerunt; quo majorem cum præsenti animi statu adfinitatem habent, vel internam similitudinem referunt; quo frequentius sibi successerunt, aut denique pro eo ac temporis aut loci adjunctis menti admoventur. Quid inde? id grande commodum enascitur interpreti, ut, quod sæpius aliter fieri nequit, rationem dicti, ipsiusque eloquendi modi reddere valeat; qua ignorata, aut in obscuro relicta nunquam plena luce gaudebit interpretatio. Præterea ubi semel cognitum habetur, quænam notiones in animo loquentis sese comitari solebant, sæpius quoque id definiri potest, quænam explicatio sit cæteris omnibus anteferenda; quam rem exemplis infra illustrabimus, ubi de locis parallelis dicturi sumus tanquam subsidio, unde cognoscatur, quæ fuerit loquentis idearum associatio. Ad priorem observationem illustrandam haud opus fuerit pluribus exemplis uti; sed facile hæc pauca sufficerint. Cur Jesus Mt. 24, 32. similitudine uteretur a ficu petita; item Joh. 7, 37. sqq. cur ultimum festi tabernaculorum diem μεγαλην dixerit, et ea loquendi ratione, quæ prostat, usus sit, non intellexerit, nisi qui, quod primum locum attinet, adtenderit, eum in monte oliveti

consedisse, ficis non minus quam oleis consito, ficusque fere præ cæteris frugibus protrudi; quod alterum, qui noverit ultimo commemorati festi die, qui maxime solennis erat, recte ejusmodi ritus observatos esse, qui occurrenti l. c. elocutioni et ansam et materiem præbebant. Denique cur hoc vel illud dictum V. F. certo in loco adhiberet, accidit vel ex observata ejus cum materia substrata similitudine, vel inde quod ordinarie adhibebatur certæ alicui rei, vel denique inde, quod recte eo die, quo Jesus sermonem fecit, in synagoga prælegebatur.

§. 89.

Quæ historicus? quæ opticus?

Ex contextus historici ratione, qui, siquidem pure obtineat, ipso partium rei describendæ ordine, aut eventuum vel factorum successione determinatur, non quidem peculiaria præcepta prodeunt, queis interpres adjuvetur; at quum tamen ejus intuitu infra quædam monita adferenda sunt, multo minus erat silentio prætermittendus, ac simul systematis ratio ejus commemorationem efflagitabat. Si e contra contextus opticus sicubi obtinet, quem in prophetiis quibusdam obtinere Velthusen in Commentt. theol. editis ab Ipso, Künölio et Rupertio Vol. VI. p. 75 — 117.; Ewald in opere, quod inscripsit: Da-

vid: Th. II. S. 356. sqq. et Cl. Jahn in Introd. in Ll. V. F. §. 81. 330. cf. it. §. 97. p. 256. haud contemnendis Argumentis contenderunt; regulam eam, quam quidam interpretationi vaticiniorum scripserunt, in eaque cuncta ad temporis ordinem revocare jubent, falsissimam esse intelligitur. Nexus optici enim ea est indoles, ut, quemadmodum in prospectus delineatione, quæ fit coloribus, sæpius objecta remotissima, quæ obtutum feriant, longe grandiora, quam viciniora, repræsentantur, aut vividioribus coloribus induuntur, ita hic quoque, neglecta fere temporis ratione, desultorie feratur a proximis ad remotissima, omissis interpositis; ab his ad viciniora redeat, imo plane præsentia futuris commisceat, quotiescunque illa veluti imago aut typus futurorum se habent, pro eo ac hæc vel illa vividius ei in prospectu exhibebantur, animumque ejus vehementius adficiebant. Quomodo, quæ in ejusmodi nexu posita sunt, cognosci queat, mox in sequenti §. dicemus.

§. 90.

Quomodo cognoscatur, quæ, quo genere, et quo in gradu cohæreant?

Quæ cum tanta sint, quæ a contextu pendent, gravissimum scitu est, quomodo cognoscatur, quæ, quo in genere aut gradu nexus po-

sita sint; et eo quidem magis, ac sunt, quæ interpretem facile in errorem inducant. Sic enim in hac re cognoscenda nulla prorsus ratio habenda est nostræ in capita et versus divisionis, ac quæ sæpius ineptissima est, eaque dissecat, quæ connectenda fuissent, vel vicissim. Falleretur quoque, qui subdivisionum, a recentioribus, utut rectius, introductarum, eam vim esse putaret, ac si ultra eas ei non egredi liceret, quum sæpius contingat, ut quæ sibi lucem adfundunt, remotissima sint ab invicem. Nec denique inscriptionibus ubique niti licet, non tantum propterea, quia a librariis sæpissime perturbatæ, sed etiam quia haud raro a recentioribus demum ineptissime adjectæ sunt. E contra autem id rectissime dijudicabit interpres, ex apertis exordiis vel clausulis orationum; ex particulis vel formulis continuationem ejusdem, aut novæ orationis initium indicantibus; præcipue denique ex unitate consilii vel facti; item loci et personarum, tum earum, quæ loquuntur, tum earum, ad quas pertinet oratio, ita ut quævis mutatio in his rebus haud fallax indicium sit, non eandem amplius continuari orationem. Quæ observatio, quantum faveat interpretationi Messianicæ loci Jes. 7, 13. sqq. quis non videat?

Quo in genere nexus membra orationis posita sint, plerumque non nisi ex ipso eorum

habitu ac indole innotescit. Nam conjunctionum v. g., quæ destinatæ sunt diversis nexus logici speciebus indicandis, plerumque in S. Sc. adeo vagus est usus, ut fere promiscue usurpatæ, et proin ex mutua demum antecedentium et consequentium ratione determinandæ sint. Quæ res, etiamsi quoad historicum nexum agnoscendum, eumque a dogmatico - historico distinguendum, præcipue ubi interpres de ea re per alios coævos referentes monitus fuerit, parum vel nihil difficultatis habeat; in logici tamen contextus specie definienda, ac optico nexu agnoscendo, ubi is non externo indicio significatur, quale est, dum propheta veluti e specula videre dicitur, haud vulgari opus est ingenii, aut judicii subtilitate, postremusque non antea admittendus est, quam si explicatione ad chronologicam rationem exacta, nullo modo dictis satisfieri intelligitur.

Idem quoque valet de gradu nexus cognoscendo. Etiamsi enim interpres grammatica ratione adjuvetur, quæ docet, utrum dictum quoddam in principali nexu positum sit, vel vero incisi instar se habeat, veluti si apodosis non immediate sequatur protasin, sed interjectis demum aliquot membris, uti Rom. 7, 1 sqq. 5, 12—18. Gal. 4, 9.; vel si constructio a cœpta deflectit, uti Joh. 1, 14.; et præcipue, si pronomina relativa non ad proxima substantiva referri possunt,

sed ad remotiora referri debent, uti Rom. 2, 16. coll. v. 12. 8, 37. coll. v. 32.; Item in historicis, vel aliis coævis scriptoribus, vel vero formulis quibusdam, quæ longioris temporis intervallum complectuntur, quales occurrunt v. g. Luc. 2, 40. 42. 1, 38. 80. 2, 20. 52., aut vagis denique temporis notationibus de non contigua factorum vel eventuum serie moneatur; plerumque tamen non nisi proprio judicio adhibito edoceatur, utrum essentialis vel accidentalis, angustior vel latior, vicinior aut remotior obtineat nexus.

§. 91.

Cautiones in explicatione ex contextu petenda observandæ.

Quodsi antiquiorum interpretum fere commune vitium fuit, ut contextum plerumque insuper haberent; ita modernorum e contra quorumdam, haud infimæ notæ interpretum vitium est, ut eo non recte utantur, vel ut verius dicam, eo abutantur; unde non possunt non perversissimae interpretationes enasci, uti vicissim non vera esse nequit, quæ contextus rationes rite subducit. Cui abusui igitur, ut occurratur, sequentia monere non modo non supervacaneum, sed summopere potius erit necessarium.

Primum jam vero, quod caveat interpres, est, ne per artificium sive criticum, sive hermenevticum nexum extorquere conetur, ubi nullus obtinet. Sane quidem libri biblici, præcipue V. T., ejusmodi quoque mutationes passi sunt, quæ nexum interturbant; neque propterea respuenda sunt auxilia, quæ subsidia critica suppeditant. At ubi non nisi per conjecturam nexus obtinetur, semper præcipue in N. T., cujus intuitu uberiori adparatu critico instructi sumus, suspectus esse debet, eoque quidem magis, ac haud raro posteriores curæ ejusmodi conamina inania et superflua esse ostenderunt. Artificium hermenevticum, sive in sectandis significatibus aut structuris rarioribus, sive in respectibus quæsitis subsistat, aut doctam subtilitatem supponat, in scriptoribus illiteratis, quales sunt maximam partem biblici, qui plana et obvia secuti sunt, et haud raro singulis orationum fragmentis colligendis acquieveruut, nunquam non suspectum esse debet. Qua de causa minime probanda erit sive transpositio, quam Michaelis Rom. 9, 13—17; Wassenbergius vero Mt. 27, 35—39. Gal. 4, 15—20. sumit; sive interpretatio tum Storrii; qui Luc. 6, 30. *και απο τȣ αιροντος τα σα, μη απαιτει* de creditoribus accipit, tum eorum qui Mt. 11, 19. ceu verba adversariorum spectant; at vicissim adprobanda erit omnis explicatio,

quæ facilitate sua, aut simplicitate se commendat.

Alterum: ne sine necessitate quidpiam, aut plane invito textu sibi supplere indulgeat. Id enim in vitio reponendum esse, cui non pateat, aut quis in contentionem vocet? An non enim, qui id facit, idem fere agit, ac qui alium textum sibi efformat? Hinc merito atro carbone notatur non modo Barhdtius, qui artificio hoc usus totam historiam evangelicam fere in fabulam romanensem commutavit, sed ipse quoque, cæteroquin doctissimus Paulus. Argumento sunt omnia ea loca, a quibus miraculi rationem removere conatur. Quis enim non invito textu fieri dicat, quæ ipse v. g. Mt. 1, 18. sqq. 14, 28. sqq. Joh. 6, 11. 7, 16. cp. 11. etc. supplet?

3tium: Ne alium nexum, quam qui revera obtinet, statuat, v. g. chronologicum, ubi opticus; pure historicum, ubi dogmatico-historicus; categoricum, ubi hypotheticus etc. obtinet, aut vicissim.

4tum: Nec arctiorem aut latiorem, quam qui est, nec proximum, ubi remotior obtinet. Ex adverso enim notiones vel sententias ultra vel restringi vel vero extendi, quam loquens eas concepit; itemque intermediis eventibus locum fieri, vel vero non fieri, contra quam res ipsa tulit, in propatulo est.

5tum: Ne vim majorem ei tribuat, quam ei revera competit, quod fieret *a*) si eam explicationem ubique præferendam esse statueret, quæ orationis seriei præ cæteris congruit. Ut enim contextui apta sit interpretatio, quidem jure postulatur, at ut præ cæteris apta sit, nullo modo postulari potest. Quæ igitur ex pluribus contextui congruis explicationibus seligatur, aliunde, ex cæteris nimirum orationis aut loquentis adjunctis decidendum venit. *b*) Si propter contextum usum loquendi unquam desereret, quotiescunque is ita comparatus est, ut commodum sensum fundat, etiamsi etymologia vel analogia linguæ conciniorem adhuc significatum suppeditet; quia usum potius, quam etymologiam vel analogiam linguæ loquentem suspexisse firmissima præsumtio est; ita ut propterea explicatio eorum, qui formulam εμπροσθεν μȣ γεγονε Joh. 1, 30. tropice de majori præcellentia accipiunt, utut egregie ad contextum quadret; tamen non adprobanda sit, quia ita tropice nullibi, sed ubique proprie de prioritate vel temporis vel loci venit. Idem magis adhuc valet de explicatione, quam D. Paulus de Joh. 2, 11. it. 7, 17. præbet, quia ne quidem æque ad contextum facit, ac ea, quam usus fert. *c*) Si notionem, quam voci vel formulæ in certo contextu adhærere videt, eidem etiam nudæ competere arbitraretur, et proin ad

ea quoque loca transferret, quæ alium longe contextum præseferunt; quod neglexerunt illi, qui v. g. formulam ὁ ὑιος τȣ ανδρ. eo, quod in quibusdam locis notione tenuis conditionis adfecta est, eadem ubique acceperunt; item qui εξοδος Luc. 9, 31. de expeditione adversus Hierosolymas explicarunt, eo, quod eo in contextu, ubi de expeditione bellica sermo est, hac notione venit. Utique contextus non tam notionem simplicem, seu significationem, quam sensum docet, qui ut obtineatur, haud raro jubet, ut simplices notiones augeantur.

6tum: Vicissim vero, ne committat, ut de ejus vi unquam aliquid remittatur. Quodsi enim contextus audiendus est, quo jure non omnis ejus vis attendatur, adhibeaturque? Hinc ergo certe peccant, qui v. g. Joh. 7, 16. απο in formula απ' εμαυτȣ quidem de causa efficaci accipiunt; εκ vero in respondenti ei formula εκ Θεȣ de objecto interpretantur, redduntque ex meditatione de Deo, pro eo, ut pro contextu reddendum esse videatur: ex Dei revelatione.

B) In singulis dictis.

§. 92.

Observatio prœliminaris.

Hæc jam sunt præsidia, quæ contexta oratio interpreti suppeditat, a quibus dum separamus adminicula sensus inveniendi in singulis dictis, non ea est mens, ac si istorum in continua oratione nullus esset usus: quin imo sine illis ne quidem contextæ orationis sensus inveniri potest, et conjuncto demum utriusque generis præsidiorum robore firmissima de veritate sensus persvasio enascitur, nec propterea exempla continua oratione petita aliena erunt ab hoc loco; sed id ideo tantum fit, quia continuæ orationis præsidiis in singulis dictis uti non possumus. Sunt autem adminicula, quorum ope interpres mentem seu consilium loquentis in singulis dictis cognoscat, fere sequentia.

§. 93.

Comparatio subjecti et prædicati, nec non cæterorum adjectorum.

Si, quæ in singulis dictis significatio ex pluribus sit seligenda, dubium sit, quid pronius, quam ut subjectum et prædicatum invicem conferantur, eaque notio obtinere statuatur, quæ alterius notioni congruit. Loquentem enim eam

v. g. subjecti notionem spectasse, quæ prædicato consentit, et vicissim, quis dubitet? Hinc procul dubio εγενετο Joh. 1, 10. proprie, μωρανθη vero Mt. 5, 13., in significatione insipidum factum fuerit: accipiendum erit, quia sic concepta demum subjectis κοσμος, et αλας respondent. Subjecti vocabulum porro docet, an habeatur propositio vel singularis, vel particularis, vel universalis; prædicati verbum autem, an sub dubio, vel assertorie concipienda sit; aut plane necessitatem quamdam sive subjectivam sive objectivam involvat.

Ubi præter subjectum et prædicatum adhuc aliæ partes orationis occurrunt, veluti casus obliqui, adjectiva, adverbia, vel quæ eorum vice funguntur, inde tum quæ sit termino cuivis in proposita constructione potestas subjicienda, tum quibus limitibus tum singulæ voces tum integra enunciatio constringenda, adhuc felicius cognoscendum esse, nemo dubitabit, qui perpenderit ejusmodi adjectorum non alium esse finem, nisi alteram vel alteram notionem accuratius determinandi. Hinc ergo confidenter pronunciare licebit αγγελον Apoc. 2, 1. esse episcopum, ob adjectum genitivum της εφεσινης; πληρωμα Col. 2, 9. spectato genitivo *divinitatis*, non notare ecclesiam, sed cumulum perfectionum divinarum, quæ insunt Jesu; ἀλισγημα Act. 15, 19.

sqq. collato adposito εἰδωλων non abstracto, sed concreto sensu de cibis contaminatis, eo, quod idolis oblati sunt, accipiendum; Ισραηλ τȣ Θεȣ denique Gal. 6, 16. esse veros Dei cultores, seu spirituales Jacobi posteros. Confer item Mt. 5, 3. ubi ex dativo τῳ πνευματι intelligitur πτωχȣς eos dici, qui tenuiori religionis cognitione imbuti, hujusque tenuitatis sibi conscii sunt; et νωθροι γεγονατε ταις ακοαις Hebr. 5, 11. Dicta Joh. 8, 15. Rom. 1, 3. et 1 Cor. 7, 26. certis limitibus constringenda esse, adjectum κατα σαρκα in prioribus, *ob instantem necessitatem* in posteriore docet.

Adjectivorum exempla, quæ utrumque hunc usum præstant, hæc sunto: et quidem quoad significationem cognoscendam, σωματικη, quod docet γυμνασια 1. Tim. 4, 8. haud de asceticis exercitiis, sed proprie potius de athletarum exercitationibus intelligendum esse; porro μονογενης quod innuit formulam ὁ ὑιος τȣ Θεȣ Joh. 1, 18. haud vulgari sed eminentiori in sensu ab apostolo usurpatam fuisse; denique ην τελωνων οχλος πολυς Luc. 5, 9. quod vocabulum τελωνης de portitoribus; non de publicanis venire argumento est; quoad limites propositionum intelligendos: πονηροι οντες manifeste limitat sententiam Mt. 12, 34.; item δοξαν παρα αλληλων λαμβανοντες dictum Joh. 5, 44. cf. it. Rom. 14, 21.

Adverbiorum denique hæc: αληϑως Joh. 6, 56., ȣκ ετι Joh. 14, 19.; νυν denique Luc. 6, 21. haud æque ut Mt. 5, 4. 6. tropice, sed proprie accipienda esse, docent. Confer porro Luc. 9. 39. σπαρασσει μετα αφρȣ; et ib. 15, 13. διεσκορπισε την ȣσιαν ἀυτȣ, ζων ασωτως.

Porro quoque huc referenda essent pronunciationis tonus, et actionis gestus, quia iis cognitis sæpe mox evanesceret obscuritas, tolleretur ambiguitas, et præcipue intelligeretur, an serio vel ironice, crassius vel mitius dicta capienda sint, an in affectu dixerit loquens vel non. Pone enim v. g. Jesum, dum diceret Joh. 2. destruite hoc templum: digito monstrasse corpus suum; item veluti suspenso, svavique tono pronunciasse verba: *quid mihi et tibi hæc, mulier, curæ sint?* anne adhuc dubium erit, priora verba tropice de ipso occidendo intelligenda, posteriora vero ab omni immodestiæ, aut inurbanitatis notá liberanda esse? Ast licet in singulis dictis vix ullus fieri queat eorum usus, contexta tamen oratio haud ita destituet interpretem, ut, licet psychologiæ satis peritus, nullum prorsus detegat indicium, quod moneat eum sive de tono pronunciationis, sive de gestu actionis. Etenim ne sine sufficiente indicio quidpiam desuper statuatur, vel maxime cavendum est, quia sicut vero cum fundamento sumta ad verum sensum inveniendum

interpretem deducunt; ita precario sumta necessario a vero eum abducunt. Cave igitur, fingas, prophetam Jes. 7, 14. in præsentem aliquam puellam digito monstrasse.

§. 94.

Unde cognoscatur, quid sit subjectum; quid prædicatum; et quorsum pertineant adjectæ determinationes.

Ordinarie quidem, quid sit subjectum, quid prædicatum; ac quorsum pertineant cætera adjecta, ex ordine verborum vel aliis grammaticis causis cognoscitur. Scilicet subjectum præcedit prædicatum, et eæ partes, quæ ad invicem pertinent, etiam penes se collocatæ sunt; quod propterea quoque in regula tenendum, interpretatioque contraria ratione obtenta pro dura atque contorta habenda est; quam notam citra controversiam incurrit v. g. interpretatio eorum, qui Mt. 5, 3. τῳ πνευματι ad μακαριοι trahunt, item εις αυτȣς Luc. 7, 30 ad βȣλην referunt. At nonnunquam tamen vel apud græcos Prædicati verbum subjecto præmittitur; magis autem fit apud Orientales, præcipue in gnomis aut propositionum congerie, ubi libenter sequens membrum ab ultimo vocabulo præcedentis membri inchoant. Neque subjectum semper pollet, nec prædicatum semper caret articulo; sed ubi subjectum indefi-

nitum est, caret; prædicatum vero, quod certo cuidam subjecto, præcipue eminentiori modo competit, pollet articulo. Ubi jam vero id ita se habet, ipsa notionum indoles logica, et mutua ratio expendenda, et quid pro eis congruum sit, judicandum statuendumque erit. Ubi simul contextus accedit, et unum idemque subjectum per plura membra dominatur, eorum comparatione plerumque omne dubium evanescit. Equidem nullus dubito Joh. 1, 1. λογος subjectum esse etiam in ultimo hujus versus membro; item αγαπη Rom. 13, 10. et avaritia 1 Tim. 6, 10.; immo nec Joh. 4, 24. facile quis hæsitaverit πνευμα prædicatum esse, quum de divinitate Spiritus S. ibi nullus sermo habeatur.

§. 95.

Natura rei.

Quum voces plerumque non nisi extremas rerum lineas magis attingant, quam describant, sine uberiore earum, aliunde hausta cognitione vix unquam perspicua earum repræsentatio obtinetur, imo periculum est, ne falsa plane animo informetur. Præcipue sine penitiori ejusmodi notitia allusiones, similitudines, earumque, quod vocant, comparationis tertium, intelligi nequeunt, quod quamplurima, quæ ubertim suppeditat Cl. D. et Canonici Jahn Archæologia biblica,

exempla comprobant. Cf. v. g. Luc. 9, 62. Mt. 10, 15. Rom. 9, 29. 2. Petr. 2, 6. Jud. 7. &c. Hinc ergo, ut plenam lucem ubique obtineat interpres, et vel judicare possit, utrum subjecti et prædicati notiones sibi congruant, præter terminorum potestatem semper ei attendenda, consulendaque erit ipsa rei natura. Præterea ordinaria vocabulorum potestas nonnunquam natura rei est inferior; aut vero eam transgreditur. Quum jam nemo, nisi sobria ratione destitutus, de re gravi tenuiter, aut de tenui graviter loqui soleat, potestas vocabulorum pro hac rei conditione vel augenda, vel deprimenda erit; quod procul dubio obtinet in sequentibus exemplis Mt. 6, 31. *μη μεριμνησατε* ib. 7, 1. *μη κρινετε.* Rom. 1, 28. *τα μη καθηκοντα.* Mt. 15, 20. *ουκ εστι καλον* ib. 3, 14. *Tu* venis ad me. Joh. 7, 11. *εκεινος.*

Denique natura rei docet, utrum loquentis dicta ad vivum resecanda vel vero mitiganda sint. Ubicunque nimirum pro omni suo rigore accepta naturæ rei parum, vel vero prorsus non convenirent, ibi certissime commodo, vel ut dici assolet, sano sensu capienda sunt. Quæ observatio præcipue valet ad hyperbolas, vel dicta proverbialia rite interpretanda; e. g. citius camelus transibit per foramen acus, quam dives in regnum cœlorum ingredietur Mt. 19, 24. it. Eritis odio *omnibus* ib. 10, 30; vel *την μαρτυριαν αυτου ουδεις*

λαμβανει Joh. 3, 32. cf. it. Col. 1, 23. &c. Quis enim vellet istud de impossibilitate potius, quam de majori difficultate tantum, et cætera dicta commodo sensu interpretari.

Inde quoque dijudicandum venire, quid decorum sit, quid non: saltem per transennam annotasse licuerit.

§. 96.

Quid sit cavendum in hac re?

Interpretem pro his naturam rerum cognitam, perspectamque habere debere, sine monitu cuivis patebit. Quo enim pacto secus explicationem ad eam exigat? At quum rerum conditio, quarum in S. scriptura fit mentio, aut ad quas alluditur, satis superque descripta sit in Archæologia biblica Cl. D. et Canonici Jahn, superfluum foret, fontes et subsidia commemorare, unde hæc notitia haurienda sit. Ex adverso autem minime supervacaneum fuerit interpretem monere, primo, ne subtiliorem notitiam rei loquenti adscribat, quam quæ ei revera præsto fuit; cujus monitionis gravitas atque necessitas infra demum penitius intelligetur; dein ne invito auctori obtrudat aliquam eruditionem, quod fieret, si ea, quæ abunde patent ex iis, quæ ubique et omni ætate obtinent, ad eruditiorem aliquam an-

tiquitatis cognitionem revocaret, veluti accidit Cel. Michaelis Prov. 10, 14, ubi plane textum mutare debuit, ut locus fieret eruditioni, et Eichhornio Apoc. 2, 7. de quo loco confer. Bauer Theologie des Apost. Johannes.

§. 97.

Ea, quæ rei alicui circumjecta sunt.

Quod est in proverbio: circumstantiæ mutant casum; id quoque commodo sensu de vocabulorum potestate valet. Variare nimirum vocabulorum potestatem, non modo pro temporis, sed etiam pro loci varietate, quis nesciat, aut diffiteatur? Ut enim nihil dicam, de ponderum, mensurarum, aut etiam nummorum vocabulis, quæ sæpius eadem sunt in diversis regionibus, at non paris tamen valoris; manifestissimum hujus assertionis argumentum habetur in vocabulo adorare, quod aliam longe potestatem habuit apud Judæos, aliam apud græcos. Porro pro eo ac dicitur: circumstantiæ aggravant casum; sententiæ aut dicti gravitas quoque sæpenumero ex circumjectis demum recte æstimatur; ita ut pro eo etiam ordinaria potestas vocabulorum, si inferior sit magnitudine rei, quam ea ex circumstantiis nanciscitur, æque augenda sit, ac id fieri oportet propter gravitatem rei internam.

Exemplum cape ab officio condonandi injurias, vel obediendi magistratibus, quod longe gravius adparet, si perpenduntur circumstantiæ, sub quibus illud Jesus ac apostoli scripserunt.

In circumjectis sæpius rationem residere associationis idearum, et certi eloquendi modi; immo in iis plerumque orationis integræ occasionem contineri, jam supra innuimus. Theologus denique illis spectatis sæpius dijudicare poterit, an sententia proposita ceu absoluta, vel relativa habenda sit, pro eo nimirum, ac ea ita concrevit cum certis circumstantiis, ut sine iis nequidem concipi queat, vel nullum saltem vel levissimum indicium prostet, unde aliis æque loquentem eam adplicare voluisse intelligeretur. En, quanta sint momenta, quæ omnem interpretis curam provocent, quo nihil eorum unquam negligat, quæ rem aliquam circumstant! Ast simul tamen caveat vel maxime, ne quid circumstantiarum ratione habita factum esse statuat, quod aliis causis adscribendum est. Equidem enim nolim v. g. causam silentii de dæmoniacis in Evangelio Johannis inde repetere, quod apostolus hic inter græcos scripserit, longe aliter de hac re sentientes: quo facto, silentium istud alio in lumine adpareat est necesse, quam si secus statuendum est.

§. 98.

Persona loquentis.

Si naturæ rei in interpretando ratio habenda est, eorumque, quæ eam circumstant, quanto minus dubium esse potest, quin etiam personæ loquentis habitus spectandus sit? Quemadmodum enim voces nunquam rei ipsius conditionem penitus exæquant; ita neque omnem personæ loquentis habitum expromunt, sed fere fores tantum reserant, quibus apertis demum interpreti circumspiciendum est, quid intus in animo loquentis agitetur. Et quidem inde non modo notio aut sententia unica, quæ a loquente spectata fuit, earumque limites cognoscenda erunt, sed etiam notionis aut sententiæ perfectio vel imperfectio. At quum de hac re infra demum peculiariter tractandum sit, hic loci ea modo in censum adducenda erunt, ex quibus cognosci queat, quæ fuerit notio aut sententia spectata, et quousque eam patere voluerit. Ex hac causa autem primo spectandus erit loquentis *caracter*. Si nimirum vir gravis fuit, et ad omnem humanitatem compositus, qui verba fecit; ab eo nihil non alienum erit, quod ludicrum, aut inurbanum sensum funderet. Quamobrem repudiandi erunt, qui v. g. πνευμα ἁγιον Joh. 14, 16. de providentiæ auxilio ordinario, aut Joh. 2, 4.

sensu agrestiori accipiunt. Secundo: *affectus*, quia hic raro disertis verbis indicatur, et tamen pro eo partim augenda est ordinaria vocis potestas, si secus frigidus sensus emergeret, partim mitiganda sunt dicta, quæ secus sanum sensum non funderent; quum nemo affectu callens frigidum facere solet, aut ad omnem rigorem verba componit. Erraret itaque, qui v. g. καταγγελλεται Rom. 1, 3. simpliciter *annunciatur* redderet, aut diras ac imprecationes in Psalmis, Jobo, aut Jeremia, vel etiam increpationes Mt. 23. occurrentes ad vivum resecaret. Tertio attendendum erit, utrum suo solius aut aliorum simul nomine verba faciat, quia pro eo dicta vel ad ipsum solum restringenda, vel etiam ad alios extendenda erunt; quid jam vero ex his ubique obtineat, ubi non ex contexta oratione, ex adjectis patet; inde unice dijudicandum venit, utrum quæ dicuntur, loquenti soli conveniant, nec ne, aut plane ei convenire nequeant. Exempla habes Rom. 7, 7. sqq. quo in loco Paulus partes hominis agit, Spiritu divino nondum animati; 1 Cor. 8, 13. ubi sensa exprimit probi cujusque Christiani; et Gal. 2, 19 sqq. quo in loco, quæ leguntur, nomine Christiani e judaicis sacris transgressi proferuntur.

§. 99.

Unde innotescat, quæ sit persona loquens: an affectu animata, et quo nomine dixerit?

Haud adeo semper liquet, quæ sit persona loquens, ut de hac re non saltim adverti debeat interpres. Potest autem hæc regula statui: pro loquente par est authorem libri tamdiu haberi, donec contrarium inde eluceat, quod aut diserte alium loquentem inducit — quod, quando locum habet, interpretis maxime eſt attendere, ubi auctor ipse filum orationis finita aliena resumat — aut ex modo dictorum refutatione intelligitur, illa pro dubitatione ab alio injecta habenda esse. — An et quoaffectu animatus dixerit loquens, ubi id disertis verbis non annotatur, veluti fit Joh. 11, 33. 38. Mt. 14, 26. Luc. 9, 33. Rom. 1, 18. etc. omnibusque iis in locis, ubi spectatores vel auditores Jesu opera, aut sese gerendi rationem admirati esse leguntur; ex orationis forma, v. g. abrupto dicendi genere, diminutivis, figuris repetitionis, exclamationis, aut denique ex psychologicis rationibus, quæ docent, quænam res nonnihil vehementius et quo modo hominis animum adficere soleant, cognoscendum est; nec difficile id erit ei, qui se penitus transformat in animum loquentis. Unde demum pateat, cujus nomine dixerit loquens, jam suqra annotavimus.

§. 100.

De falsis emphasium causis.

Hic locus esse videtur, quædam de falsis emphasium causis subjungendi. Emphasis uti Ernestius loquitur, est augmentum, quod ad ordinariam vocis potestatem accedit. Tale jam merito adjungi, ubi de re gravi sermo est, aut loquens affectu incaluit, aut etiam sermonis cohærentia sine adjuncta notione non subsistit, abunde ex dictis patet. At hisce causis non omnes interpretes acquievere, sed emphases ubique captarunt, ubi vel etymologia vocis aut compositionis vis admittebat, aut alia peculiaris construendi ratio obtinebat, veluti infinitivi cum modo finito ejusdem verbi, aut singularis cum substantivo pluralis formæ, et quæ sunt alia hujus generis. Id vero temere fieri statuique, præterquam quod ex psychologica ratione pateat, quæ prohibet exaltatiorem animum sumere, ubi de re gravi, aut in genere non de ea re, quæ animum possit et soleat movere, sermo est; et porro quod experientia doceat, primigeniam vocum vel formularum vim, a novitate descendentem, decursu temporis per frequentiorem consvetudinem pededentim diminui, et demum penitus tolli; manifestissimis quoque exemplis monstrari potest. Anne enim v. g. הִבִּיט si ubique

esset, intenta et veluti vibranti occulorum acie intueri, cum ראה uti fit Ps. 33, 13. et præcipue Ps. 142, 5. permutari posset, quod, nisi ubi cum ב construitur, est simpliciter videre? Anne αποκαραδοκια, si ubique esset expectatio certissima quæ fit exserto capite, Phil. 1, 20. potuisset ab apostolo substantivo ελπις præmitti, quod est simpliciter spes? aut in genere, anne in hac hypothesi toties, quoties fit, composita possent cum simplicibus verbis permutari? An non denique, si formula *gavisi sunt gaudio* jam summum lætitiæ gradum indicaret, maxime otiose Mt. 2. 10. adjecta fuissent adjectivum et adverbium: *magno valde*? &c. &c. Exin simul colligas, quid censendum sit de divisione emphasium in constantes seu perpetuas, et temporarias, de qua nescio, quomodo a pugna in terminis vindicari queat.

C) Extantibus pluribus orationibus, quæ in comparationem venire possunt.

§. 101.

Quæ præsidia interpreti accrescant, ubi plures præsto sunt, sive ejusdem, sive aliorum scriptorum orationes, quæ in comparationem adduci possint.

Non obstante, quod tot sint et tanta præ-

sidia, quæ oratio contexta interpreti suppeditat, aut in singulis dictis succurrunt, ea tamen haud sufficiunt ad omnem difficultatem obscuritatemve a quovis loco depellendam. Tam felici ei tum demum esse continget, si plures præsto sunt, sive ejusdem, sive aliorum scriptorum orationes, in quibus vel eadem pertractatur materia, vel saltem principia, quæ quis secutus sit, uberius exponuntur. Hisce enim invicem collatis, nescio, quæ amplius difficultas relinquatur, quo minus plene atque perspicue cognoscat, quam loquens præ cæteris notionem vel sententiam spectaverit. Ejusmodi jam vero loca, quæ de eadem re tractant, dicuntur loca parallela; ea autem, quæ suprema principia certi scriptoris vel systema uberius exponunt, analoga, et in biblicis scriptoribus vocabulo abstracto pro concreto analogia fidei dicuntur. Hæc igitur, nimirum loca parallela et analogia fidei ceu nova præsidia interpreti accrescunt, ubi plures præsto sunt orationes in comparationem adducendæ.

§. 102.

De locis parallelis.

Loca parallela, quæ esse loca de *eadem* re tractantia mox diximus, vel sunt ejusdem scriptoris, vel aliorum. Ea jam vero, quæ sunt ejusdem scriptoris, in comparationem adducenda es-

se, nullum dubium esse potest, quum excepta causa, qua quis in retractando versatur, quivis secum ipso consentire soleat. Neque facile quis dubitaverit, quin diversorum scriptorum loca parallela tum quoad usum loquendi, tum quoad notitias historicas invicem conferri possint, ad plenam lucem obtinendam; quia usus ejusdem linguæ in substantia saltem idem ubique persistere debet, et mutationes solum paucæ attendendæ sunt, quas sive disciplinæ, sive temporis, sive loci varietas induxit; et eodem modo eædem notitiæ historicæ pluribus simul præsto esse poterant, et tamdiu præsto fuisse præsumendæ sunt, donec contrarium monstretur. E contra autem in principiis, in sententitiis certis aut placitis ingens solet esse inter diversos homines discrimen. In his ergo comparatio inter diversos scriptores magis ideo poterit institui, ut discrimen pateat, quod inter ipsos obtinet, quam ideo, ut alter ex altero explicetur; nisi tamen manifeste de iis constet, eadem disciplina fruitos, iisdemque doctrinis imbutos fuisse. Quod quum in scriptoribus N. F. obtineat, ii vel ex hac parte invicem comparari, et promiscue alter ex altero illustrari poterunt.

§. 103

Usus eorum multiplex.

Quodsi jam vero possunt, debent quoque loca parallela ab interprete conferri, ne iis neglectis sæpissime debita luce, plena nimirum facti aut doctrinæ cognitione destituatur. Varius enim et multiplex est eorum in interpretando usus, et ad sequentia fere capita reduci potest.

1. Eorum ope sæpenumero vocabula obscura certi alicujus loci egregie illustrantur, dum haud raro contingit, ut in loco parallelo vel cum clarioribus synonimis, aut si tropica sunt, cum propriis permutentur, vel denique per adjecta accuratius definiantur; veluti se habet cum כהנים 2 Sam. 8, 18., quod in loco parallelo 1 Par. 18, 18. cum ראשנים permutatur. Eodem modo επιτιμησον Luc. 17, 3. explicatur per ελεγξον Mt. 18, 15.; αποκαλυψις 1 Cor. 1, 7. per παρεσια 1 Thess. 3, 13. πνευμα ἁγιον Mt. 1, 20. per δυναμις ὑψιςυ Luc. 1, 35. καινη κτισις 2 Cor. 5, 17. per πιςις δι' αγαπης ενεργεμενη Gal. 5, 6. σημειον Mt. 12, 38. per adjectum Luc. 11, 16. εξ ερανε item πνευματος Mt. 4, 1. per adjectum ἁγιε Luc, 4, 1. denique χριςας 1 Cor. 1, 21. per χρισμα εχετε, και οιδατε παντα 1 Joh. 2, 20.

2. Quodsi dubium est, utrum voces vel formulæ, quæ in utramque partem verti possunt, proprie vel tropice intelligantur; certissime posterius statuendum est, quotiescunque in locis, in quibus de eadem re sermo est, variantur formulæ, aut plane, quod nonnunquam fit, contrariis imaginibus permutantur; qua observatione igitur duce, nemini sive obscurum sive dubium esse potest, quomodo intelligenda sint, quæ v. g. de igne in altera vita sustinendo, aut de cœna cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo celebranda &c. in libris nostris habentur. Ast non æque valet observatio in contrarium, quia nihil prohibet, eundem constanter tropum servare, uti nefas est, eandem sententiam diversis formulis aut plane contrariis terminis enunciare. Hinc minime ex constanti vocabuli δαιμονιζομενος usu jam ii refutantur, qui terminum istum improprie capiunt.

3. Uti, quæ significatio, ita etiam, quibus notio vel sententia limitibus sit constringenda vel diducenda, inde sæpius potest definiri; pro eo nimirum, ac sic tantum i. e. certo modo limitata locis parallelis congruit. Qui enim secus statueret, næ is demonstrare deberet, vel auctorem libri sui immemorem fuisse, aut sese retractare voluisse, vel eum errasse, aut denique verba adjectave orationis ejusmodi sensum prorsus

non pati. Ubi hæc demonstrari nequeunt, quæ ratio esset, ob quam aliter statuatur? Hinc ergo v. g. nemo hæsitabit sensum loci Joh. 3, 17. sqq. eum constituere, qui nullo modo neget, Jesum collatis locis Joh. 5, 22. sqq. Mt. 25, 31. sqq. &c. aliquando judicem hominum venturum esse; e contra autem λογον προφητικον 2 Petr. 1, 19. non ad singulum aliquod oraculum restringet, sed collatis locis 1 Petr. 1, 10. sqq. Rom. 16, 26. Apoc. 1, 3. &c. ad omnia effata Messaiana pertinere eo confidentius statuet, quod vel contextus loci cf. v. 20. sq. eundem sensum suadeat.

4. Non modo autem singulorum terminorum aut dictorum, sed plerumque neque totius rei, historiam puta et doctrinam, satis perfecta perspicua et solida cognitio sine locorum parallelorum auxilio obtineretur. Qui enim v. g. unum modo e quatuor Evangelistis legisset, heu! quot ille præclarissimorum factorum aut dictorum Jesu notitia careret? Nec meliori loco esset quoad historiam utriusque regni, Judaici nimirum et Israelitici, qui vel Regum libros, aut Chronicorum solos legisset? porro quis Pauli epistolas absque actibus; quis plurimos Psalmorum non admoto historiæ lumine, et in specie oracula prophetica, quæ se ad eventum veluti adumbrationes carbone factæ ad declinationem coloribus vestitam ha-

bere solent, sine historiæ beneficio plene atque perspicue intelligat? Si nexus pragmatici quoque cognitio ad perspicuam et solidam historiæ notitiam obtinendam pertinet, an non is denuo sæpissime lateret deficientibus locis parallelis? An non Mt. 21, 1. sqq. ex hac parte demum illustratur collatis locis Joh. 11. et 12, 9. sqq. itemque 1 Chr. 11, 4—9. coll. 2 Sam. 5, 6. 16. et sic porro?

Atque idem quoque valet de doctrina Jesu apostolorumque. Quot enim non loca conferenda sunt, ut v. g. sciatur, quosnam salutares effectus mors Jesu humano generi attulerit? Et quæ solida ejus cognitio comparari potest sine notionibus, quas dicunt, universis, quæ autem quomodo sine quam plurimorum locorum comparatione informari queant, plane nescio. Atque hic dici nequit, quantum usum præstent loca, quæ fere sibi repugnare videntur, sed accuratius perlustrata tamen in concordiam redeunt. Vix enim prostante aliqua definitione subtilis adeo et accurata notio potuisset informari, ac obtineri potest ejusmodi locorum comparatione. Exemplum egregium præbent loca, in quibus de πιςει ad salutem necessaria, atque in morte Jesu collocanda, sermo est; et quæ partim ea sunt, ut obviam eant nimiæ hominum in vires suas confidentiæ, arrogantiæ, atque jactantiæ; partim ea, ut erigant hominum animos ad macte resistendum pec-

candi illecebris, et ad strenue persequendum virtutis studium, respiciendo ad Dei auxilium, quo imbecilles adjuvat, atque confortat; unde hæc acuratissima ejus finitio exurgit: *Esse eam expectationem auxilii divini, defectum virium nostrarum pro conatu nostro compensantis et quasi supplentis.* Utique scriptores biblici, præcipue N. F., scriptores populares fuerunt, quorum ea est ratio versandi, ut materiam aliquam non ulterius prosequantur, nec ex alia parte spectent, ac postulat proxima orationis occasio, nec studeant terminis ad scholæ ακριβειαν compositis, satis confisi, quemlibet dicta ita limitaturum esse, ut sanitas sensus, occasio sermonis et alibi tradita postulant, et termini pro substrata materia et serie orationis etc. admittunt. Non possum mihi temperare, quin hic adscribam, satis egregie verba Holdenii, D. Sorbonici, quæ habentur in div. fid. Anal. I. 5. et hæc sunt: „Veritates „philosophicæ nec probandæ, nec improbandæ „sunt ex puris, nudisque scripturæ verbis et sen„tentiis; quamvis enim nulla complectatur scrip„tura falsitatem; attamen ipsius loquendi modus, „ut plurimum vulgaris est, atque ad communem „captum potius, quam ad loquelæ proprietatem, „et sermonis rigorem adaptatus est.“

5. Neque aliorum subsidiorum hermenevticorum rectus usus fieri potest sine locorum pa-

rallelorum adjumento. Quæ enim v. g. fuerit loquentis idearum associatio, quomodo detegatur, nisi plura prostent loca, quæ loquentem nobis de eadem re disserentem sistunt? Quum jam sæpissime interpreti aqua hæreat ita, ut quam interpretationem cæteris præferat, nesciat, nisi cognitam habuerit atque perspectam loquentis idearum associationem, patet, quam gravis sit hic locus. Atque idcirco exempla, quæ supra distulimus adferenda ad hunc locum illustrandum, promissis stantes hic subjungimus. Itaque interpretationem vocabuli επιϑσιος de victu ad vitam sustentandam necessario non modo non alienam esse a Matthæi loco 6, 11. sed ei præ cæteris convenire unde melius pateat, quam ex locis Mt. 6, 33. Joh. 6, 27. aliisque, in quibus Jesus pariter a cura pro rebus spiritualibus ad curam pro rebus temporalibus sermone delapsus, aut vicissim eo progressus est? Eodem modo interpretatio vocabuli ϑελημα ibid. v. 10. de ea voluntate, qua Deus declarat, quid a nobis fieri velit, satis defenditur ea observatione, quod moralitatis sectandæ notio non minus, quam notiones de promovendo regno Dei, patreque honorificando, quæque pariter ac illa in solenni precandi formula occurrunt, ad primarias, et quas dicunt, prædominantes Jesu notiones pertinuerit, et proin ægre ab illa formula abesset

Et quis denique sibi persvaserit Joh. 3, 14. de ascensione seu elevatione in cœlum intelligendum esse, quum salus hominum, de qua mox in sequentibus sermo est, nullibi ab ista re, sane vero ubique a cruenta in cruce morte pendens reddatur?

6. Hand prætermittendum est illud commodum, quod illorum ope cognoscantur, quæ sint supplenda, et præcipue quidem in historicis locis, quinam eventus intermedii sint supplendi. Sic quæ suppleri debeant inter Mc. 1, 7. et 8. ad verum nexum obtinendum, intelligitur ex Joh. 1, 19. sqq. cf. it. Mt. 19, 10. cum Mc. 10, 10.

7. Denique ex locis parallelis nonnunquam etiam determinari potest, utrum loquens e sua vel aliorum sententia dixerit, pro eo nimirum, ac eandem semper sententiam sequitur, non obstante tum auditorum tum occasionis diversitate; quia, quomodo his stantibus non variarit quoque cum sermone sententiam, nullo pacto intelligitur.

§. 104.

Quomodo inveniantur loca parallela?

Quo tot tantisque commodis, quæ e locis parallelis enascuntur, potiatur interpres biblicus, eorum notitiam satis copiosam paratam habeat oportet. Maximo subsidio ei erunt in hac re

Concordantiæ biblicæ, quales et quidem hebraicæ prodierunt opera Buxtorfii Basileæ 1632; particularum hebrr. in specie cura Noldii a Tympio cum animadversionibus editarum Jenæ 1734. Græcæ N. F. autem Concordantiæ ab Erasmo Schmidio 1638 Vitembergæ editæ sunt, quæ loca exhibent, in quibus voces vel formulæ eædem occurrunt, ut uno obtutu circumspici et expendi possint. Accedunt lexica non modo linguarum, sed et rerum biblicarum, qualia prostant ab Hezelio, aliudque Geræ a pluribus congesta; porro ejusmodi, quæ doctrinam tum moralem tum dogmaticam complectuntur, ad eamque confirmandam fere singula utriusque Fœd. loca persequuntur, propterea que maximo cum fructu ab interprete consuluntur. Ast præterquam quod nihil humani operis adeo perfectum sit, ac omnibus numeris absolutum, ut nihil relinquatur posterioribus curis augendum, perficiendumque; satis copiosa exempla probant, quorum permulta collecta habentur in Enchiridio Herm. Bibl. Generalis Tabularum utriusque Fœd. Cl. D. et Canonici Jahn p. 36. sqq., haud exiguam adhuc relictam esse interpreti racemationem. Hinc propriam lectionem, quam dicunt, cursoriam Ss. librorum adjunget oportet, quæ eo fine instituitur, ut sibi familiare reddat argumentum non modo integrorum librorum, sed et singulorum loco-

rum, itâque decurrit, ut non quavis difficultate expedienda detineatur, sed eas ipsas solum detegere conetur, et quo felicius memoriæ impressas teneat, chartæ mandet, videatque, an non occurrant loca, quæ difficilioribus ejusmodi lucem adfundant. Quum maxima sit scriptorum biblicorum affinitas atque connexio, haud unquam deerit ejusmodi lectioni sæpius repetitæ, nec longo intervallo interposito institutæ, quin fine suo potiatur, eaque detegat, quæ omnes hucusque interpretes effuggerunt. Vel casus enim, qui recte librum aliquem vel locum alicui admovit, jam sæpius effecit, ut diu frustra quæsita lux vexatissimo loco oriretur.

§. 105.

Cautelæ circa loca parallela adhibendæ.

Cavendum tamen vel maxime est in hac re 1.) ne loca parallela habeantur, quæ non sunt. Probe nimirum a locis parallelis distinguenda sunt loca similia, quæ non obstante maxima plurimorum adjunctorum similitudine aut assertionum congruitate, in pluribus tamen rebus specifice differunt, et proin æquiparata non possunt non falsas interpretationes efficere, diversosque scriptores pugnis collidere. Sic ergo v. g. adparitiones, quæ cæteris mulieribus contigerunt,

haud sunt pro iisdem cum ea habendæ, quæ Mariæ Magdalenæ contigit, quum non modo diversitas personarum obtineat, sed et tempus et locus diversa sint. Nec possum mihi persuadere, unetionem a Luca 7, 35. sqq. narratam eandem esse cum ea, quæ Joh. 12, 1. sqq. et cæteris locis parallelis narratur. Locum Mc. 6, 13. plerique protestantium pro parallelo habuerunt, cum Jac. 5, 14. sqq. quod tamen ita esse haud concesserit, qui perpenderit discrimen, quod inter miraculosam unctionem ad sanitatem pertinentem, de qua apud Marcum, et unctionem ceu ritum religiosum adhibitam, de qua apud Jacobum sermo est, intercedit. Veteres theologi in eo potissimum peccarunt, quod ex levissimis indiciis locum aliquem propheticum pro Messajanico declararint, qui tamen ex verborum cohærentia, et ex majori adjunctorum parte æstimatus ad longe alia pertineat. — Quod in specie verborum et formularum comparationem attinet, non modo formæ vocis et constructionis, sed et contextus ratio est habenda, videndumque, an eadem sint, vel non; quum quævis disparitas in hac re loci paralleli rationem tollat. Esto enim *ανιςασθαι* nonnunquam esse: judicio vel judici sisti: locus tamen, qui passivam formam exhibet, nunquam probare poterit, eadem notione activum quoque venire. cf. Paulus

Commentar. ad Joh. 6, 39. sqq. Hinc igitur anne הִתְבָּרְכוּ Gen. 22, 18. &c. æquiparare licuerit, atque explicare ex Gen. 48, 20? Aut quis concedat formulam N. F. „sede ad dexteram meam," exigere ad locum Pindari de Minerva dicentis: δεξιαν κατα χειρα τȣ πατρος καϑεζομενην τας εντολας τοις ϑεοις αποδεχεσϑαι; quum ad contextum exactus longe alius sit hujus phraseos, et prioris formulæ sensus?

2. Ne plus inde inferatur, quam quod revera sequitur: quod fit ab iis, qui uni alicui loco parallelo cætera sic subordinant, ut nullum alium sensum eis inesse statuant, quam qui jam priori tanquam pro basi posito continetur; veluti id factum est a Socinianis, qui v. g. Joh. 17, 3. et similes locos, qui de via consequendi salutem tractant, ad eos exegerunt, composueruntque, qui obedientiam mandatis divinis præstitam hanc viam esse tradunt; quod vero vel maxime vitiosum esse, jam inde satis elucet, quod id haud unquam sine vi quadam adhibita efficere valeant; præterquam quod hæc statuendi ratio cum natura stili popularis prorsus nequeat conciliari, ac quæ in eo sita est, ut materiam non uno in loco exhauriat, sed pluribus in locis e diversis partibus spectatam tractet, proindeque nova semper ac nova incrementa adjiciat.

3. Obscuriorem locum ex clariori explicandum esse, adeo ex terminis ipsis patet, ut nullo monendum foret, ni sæpius jam contigisset, et vel hodie adhuc contingeret, ut ex præconceptis opinionibus locus hermenevtice clarior pro (dogmatice) obscuriori haberetur. Hermenevtice clarus locus autem est is, qui exactus ad usum loquendi, ad consilium orationis et culturam loquentis non nisi unicam notionem admittit.

4. Denique haud multo magis monendum esse videtur, quum sua sponte pateat, locum parallelum ejusdem Scriptoris præferendum esse ei, qui apud alium reperitur.

§. 106.

De locis pugnantibus.

Sed quid? si loca, quæ de eadem re tractant, invicem pugnant? Ubi id ita se habet ante omnia videndum erit, an vera sit pugna, an vero adparens modo. Si vera est, interpretem, qua talem, cujus est intelligere, quid loquens cogitaverit; verane sint, an falsa loquentis dicta, prorsus non adtinet; vix enim ab eo postulari potest, ut, quis inter diversos litigantes sit potior, ceu arbiter definiat. E contra autem non æque se abdicare poterit cura adparentium pugnarum, quia ne quidem vere interpretatus esse dici possct, quamdiu illas intactas relingueret. Ante-

quam vero, quid sit intuitu earum interpretis officium, definiamus, quæ vera sit, quæ adparens modo pugna, statuamus oportet.

§. 107.

Quæ sit vera; et quæ adparens pugna?

Vera jam vero pugna ea est, qua contraria de eadem re ex eodem respectu adseruntur; adparens igitur pugna erit, quando aut contraria non sunt, sed videntur modo, quæ de eadem re statuuntur, aut quando quidem sunt, non ad eandem tamen rem pertinent; veluti dum Paulus dicit: fide, non ex operibus hominem justificari; Jacobus autem, fidem sine operibus mortuam esse, quia ille sententiam suam iis opponit, qui nihil gratiæ divinæ, sed omnia suis meritis quoad justificationem tribuenda esse statuebant; hic vero iis, qui merum intellectus assensum ad salutem consequendam sufficere sibi persvadebant; aut etiam dum longe alia sunt, quæ Mariæ Magdalenæ, alia, quæ cæteris mulieribus in adparitione Jesu redivivi contigisse narrantur.

§. 108.

Quid sit intuitu adparentium pugnarum interpretis officium?

Quæ quum ita sint, haud amplius latere po-

test, quid sit interpretis intuitu pugnarum adparentium officium. Omnem nimirum operam suam non tam eo diriget, ut pugnam tollat, quæ nulla est, quam eo potius, ut speciem pugnæ, vel accuratius, ut fontes detegat obstruatque, unde species pugnæ enascitur. Hæc autem sita esse nequit, nisi vel in vitio quodam textus, vel interpretationis, aut denique judicii. Quæ enim manet pugna, quin sive textus, sive interpretatio, sive denique judicium in mendo cubent, ea vera, non adparens pugna est; e contra autem quæ in corruptione quadam textus residet pugna, aut in vitio interpretationis, vel denique in erroneo judicio, ea perperam authoris ipsius pugna esse putaretur. Hinc ergo antequam de pugna decernat interpres 1) sollicite in integritatem textus indaget, et ubi corruptionis fundata suspicio admovetur, eum puritati suæ restituere conetur. Sufficiens autem fundamentum non tum modo habetur, si luculenta testimonia adsunt, quæ textum contracti alicujus vitii arguunt, sed etiam si ex internis argumentis criticis tale sumere cogimur, et emendatio, quæ suscipitur, simul ita comparata est, ut ea tanquam vera posita mox omnis varietatis et corruptionis origo pateat. Præcipue in numeris, in quibus describendis librarii, utpote literarum numeralium, quas vel in N. T. adhibitas esse haud improba-

bile est, similitudine seducti, et facillime et sæpissime peccabant, haud anxie verebitur interpres errores concedere, et sic affectum locum a pugna liberare. Ita jam vero dissensiones quæpiam, quæ libros Chronicorum inter et Samuelis ac Regum obtinent, feliciter tolluntur, aut saltem detegitur in alterutro loco mendum, quod etsi defectu adminiculorum emendari non potest, ostendit tamen, veram non esse locorum pugnam; id quod pluribus exemplis monstravit Cl. Jahn l. c. p. 138 sqq.; qui idem non alienus est ab admittendo simili vitio vel in loco Joh. 19, 14. vel in parallelis locis Mt. 27, 45. Mc. 15, 25.

2. Si textus in mendo non cubet, videat, an in interpretando recte versatus sit, et non forte terminos loquentis ad angustiorem potestatem restrinxerit, sive etiam magis presserit, quam oportebat; contra quam observationem ii peccant, qui v. g. Luc. 22, 20. ita adstringunt, ac si sensus solummodo esse posset: hic calix, in quantum vinum continet, &c. et non pariter etiam: hic calix, in quantum sanguinem continet &c.; et vicissim, qui dictum 1. Joh. 3, 2. *videbimus eum sicuti est*: ita premunt, ac si revera omnimodam dei cognitionem aut plane physicam intuitionem innueret. — Item an non comparative aut hypothetice dicta ceu absolute dicta habuerit; potest enim ex aliqua parte quidpiam

asseri; ex alia vero negari, vel contrarium asseri, quin pugna sit: veluti pater major seu beatior Jesu est, quoad terrenam conditionem; et ipse et pater unum sunt, quoad naturam. Eodem modo non pugnant, si quædam hypothetice eventura annunciabantur, et dein non evenisse leguntur. Porro an non, quæ quis dixit ex aliorum sententia, tanquam e propria loquentis sententia dicta spectaverit; et quæ sunt alia hujus generis.

3. Videat an non contraria declaraverit, quæ revera non sunt; veluti silentium unius et positivam narrationem alterius, quæ saltem contraria non esse debent. — Porro an non diversa in modo narrandi pro diversis in re ipsa habuerit; ex qua observatione neglecta dici nequit, quot pugnæ fuerint structæ. Quoties enim v. g. hic istud, alter aliud nomen ejusdem personæ usurpabat; alter ab hoc, alter ab alio termino progrediebatur; alter certis et finitis, alter rotundis numeris utebatur; alter breviter, alter fusius rem pertractabat, et quæ sunt alia hujus generis, toties fere de pugna conclamabatur, quum tamen hæ ipsæ varietates circa unam eandemque rem citra omnem pugnam versari possint. Denique an non diversa facta confuderit, ac quæ mirum non est si dissentiant, quia secus ne quidem diversa essent. Quamobrem de pugna in-

ter Mt. 28, 10 et Joh. 20, 17 sermo esse nequit, quia utrobique alia est historia.

Quodsi jam observatis his omnem pugnarum catervam, quam in aciem produxerunt auctor fragmentorum Quelpherbytanorum contra Evangelistas, et de Wette in Beyträgen zur Einl. ins A. T. contra libros Chronicorum et Regum, atque ipsos quoque Mosaicos, fere in nihilum redigi adpareat; tantum abest, ut doctrina nostra de partium studio suspecta fieri debeat, ut potius tot pugnas vel in odium Ss. literarum vel ad commendandas ingeniosas hypotheses, vel denique ad exercenda ingenia congestas esse haud temere suspiceris. Quamdiu enim ea, quæ notavimus, vitia esse negari nequit, tamdiu etiam, doctrinam nostram his vitiis oppositam, veritate niti, concedi debet.

§. 109.

De analogia Fidei.

Quodsi doctrinas quasdam atque præcepta omnibus scriptoribus biblicis, imo et patribus comunia esse intelligimus, in iisque eos congruere evidens est, ad ea veluti ad principia revocanda esse dicta obscuriora atque ambigua, quis neget? aut si fit ab interprete biblico vituperet? Non enim aliud tum fit, quam si singulares philosophorum enunciationes ex systemate explican-

tur; aut Confessionum diversarum dicta ex principiis, quæ sequuntur, definiuntur; aut caussæ occurrentes ad certam legem judicantur; vel denique ipsæ leges ambiguæ ad mentem totius legum corporis revocantur; quod nemo non facit.

Cardo rei igitur in eo unice vertitur, utrum vera obtineat consensio, et quidem non modo inter scriptores N. F., sed etiam eos inter et scriptores V. F., ac patres, et non potius omnis illa suspecta sit? Nec negamus quoque inter scriptores N. F. et V. F. istud discrimen obtinere, quod illi longe perfectiori cognitione imbuti fuerint, quam isti; imo istud discrimen gradus vel inter ipsos V. F. scriptores antiquiores et recentiores intercedere; neque propterea fieri debere, ut promiscue et prorsus ad invicem exigantur. At non obstante hoc eatenus tamen ad invicem revocari poterunt, quatenus agitur de definienda notione unica, quibusque limitibus ea constringenda sit, quamprimum id modo liquet, veritates certas specificas communiter iis cognitas fuisse, quia in hanc rem discrimen gradus non influit, vel saltem influere non debet. Ejusmodi autem omnino prostare, vix quempiam negaturum esse arbitror. Ut enim v. g. vel aliquas modo commemorem: omnes tenent Deum summe sanctum et gubernatorem rerum omnium, eumque unice colendum esse: omnes obscure saltem

innuunt, pietatem internam pluris esse faciendam, quam externum cultum, huncque sine illa nihil valere apud Deum: omnes tenent, omnem hominem, servum æque ac liberum, peregrinum non minus, quam incolam amandum esse, nec destituti sunt saltem præsensione quadam alterius vitæ, et quæ sunt alia hujus generis, etiamsi hæc alter altero, et præcipue scriptores N. F. multo clarius atque perfectius enunciant. Ad has igitur, ut revocentur dicta, quæ seorsim spectata aut obscura essent, aut quibus limitibus constringenda sint ignorarentur, quis amplius nefas esse dicat?

Contra scriptores N. F., quatenus ipsi inter se conferuntur, quodsi difficultas aliqua inde repeteretur, quod nequaquam paris omnes subtilitatis ingenii fuerint, hanc eandem iterum fore observamus, quam mox expendimus, et proin huc non pertinere asserimus. Accedit quod hic non adeo subtilitas ingenii, qua in abditissimos doctrinæ cujusvis recessus penetrarunt, quam proba et sincera fides in censum veniat, qua veritates a Jesu traditas, cujus fere per triennium discipuli fuerint atque continui comites, literis consignarunt. Dummodo igitur hæc suspecta reddi nequeat, prouti nequit, tam parum quoque verendum erit, scriptores N. F. invicem conferre ad doctrinam Jesu melius cognoscendam,

seque mutuo collustrandos, ac nemo veretur Xenophontis, aliorumque Platonis discipulorum scripta adhibere, ad magistri hujus placita atque dicta illustranda.

At Patres tamen, inquiunt, manifeste doctrinam Jesu apostolorumque ex ingenio suo exornarunt, eamque ad sententias, et placita philosophorum, præcipue Platonis transformarunt? Sane quidem antiqua hæc est incusatio, et a gravibus viris commota; at, ni fallor tamen, patres ab hac culpa satis egregie vindicavit Keilius in Difs. *de Patribus a culpa corruptæ per philosophiam Platonis doctrinæ Christianæ liberatis:* qua concedit quidem patres doctrinam Christi ad formam systematis philosophici exegisse, ad ejusque modum tractasse; at eos quoque sententias Christianas ipsas ad philosophorum placita detorsisse, tantum abest ut concedat, ut potius suspicionem fundet, eos placita philosophica ad sensum Christianum conformasse. Dein si id quoque factum esse largiremur, certe tamen nec ab omnibus, nec ubique factum est; quum enim, uti et cœlo ac ætate, ita et ingenio ac disciplina maxime distent, quis sibi persuadeat eos unquam consentire potuisse in re, quæ ab ingenio cujusvis et eruditione profecta sit? Hinc ergo in consensu eorum, præsertim unanimi firmissimum habetur intaminatæ traditionis criterium, et quod

omnes, ubique, et semper crediderunt, ceu pura doctrina Christi apostolorumque suscipiendum erit.

Sic ergo nihil obstat, quo minus analogia fidei, quæ est congruentia veritatum religionis in s. scriptura et traditione evidenter expositarum, principii hermenevtici instar habeatur; nec unquam adversarios habuisset, nisi summæ articulorum fidei et capitum doctrinæ in s. scriptura et patribus propositorum supposita fuissent systemata dogmatica singularum partium, quæ tamen magnopere diversa sunt, aut nisi a quibusdam ad supremi principii dignitatem evecta fuisset, quod esse nequit, quum hoc supposito non nisi a priori constitui posset, et tum quodvis systema philosophicum ceu norma interpretationis haberi deberet.

§. 110.

Exempla, in quibus usus ejus cernitur.

Usus ejus jam vero potissimum cernitur, uti in §. præc. jam innuimus, in illustrandis obscuris dictis, finiendisque ambigue aut vage enunciatis. Non semper in promtu sunt loca, quæ de eadem re tractant, et obscuritatem ab alterutro loco depellunt, aut ambiguitatem tollunt: tum non remanet nisi ut conferantur loca, quæ principia, quæ loquentes secuti sunt, clare per-

spicueque enunciant, ex iisque illustretur obscurus locus, finianturque voces vel formulæ vagæ; quibus vero inventis haud unquam deerit lux desiderata, aut quæsita finitio. Sic v. g. certe nemo dubitabit Joh. 1, 14. collatis iis locis, quæ Jesum verum fuisse hominem docent, de suscepta humana natura intelligere, detrectabitque interpretationem Apollinistarum. Utrum verba institutionis S. cœnæ sensu catholico, an vero acatholico accipienda sint, quis hæsitet, qui perpenderit manifestissima Ignatii verba, quibus in ep. ad Smyrnenses, qua contra Docetas disserit, utitur, et hæc sunt „non fateri eos, in S. cœna „porrigi corpus Jesu Christi"; similiaque aliorum Patrum loca? Μη ομοσαι ὁλως Mt. 5, 34. non absolute accipiendum esse, ea loca docent, in quibus Jesum et apostolos coram magistratibus, et in genere in re gravi jusjurandum non detrectasse legimus. Idem valere de Joh. 3, 18. Mt. 6, 19. Rom. 3, 28. satis intelligitur ex Joh. 9, 41. similibusque locis. Ita etiam si in V. F. Deo tribuuntur manus, vel somnus, aut evigilatio e somno, si ira aut pœnitentia, vel plane mala moralia, quis hæc proprie accipiet, si viderit in iisdem, quibus ista dicuntur, occurrere alia et manifestissima quidem loca, quibus Deus ceu is, qui videri nequeat, qui sanctissimus sit &c. repræsentatur?

§. 111.

Conclusio hujus sectionis.

Quæ jam præter enumerata adminicula consulenda essent, ad inveniendam spectatam notionem, nulla sunt; nec difficulter ostendi posset, præter ea nulla nominari posse. Accidere igitur poterit, ut sicubi copia non sit totidem utendi, quibus opus esset ad sensum clare cognoscendum: at ut ibi interpres sensum loquentis non assequatur, ubi eorum copia est, fieri aliter nequit, quam ut vel cognitionibus eis, quas rectus eorum usus postulat, vel necessaria judicii subtilitate destitutus sit. Requiri enim in eo, qui hisce adminiculis recte utatur, ingentem thesaurum varii generis cognitionum, veluti philosophicarum, psychologicarum, rhetoricarum, historicarum, ac archæologicarum &c., satis ex dictis patet. Quas igitur sibi comparet oportet. Quinam libri ei in hac re præcipuo adjumento esse possint, maximam partem jam suis locis indicavimus: quoad philosophicas autem et psychologicas cognitiones, quos adhuc desiderari passi sumus, præcipua commendatione dignos judico: *Fries* System der Logik; ejusd. neue Kritik der theoret. u. praktischen Vernunft; Plattners Aphorismen, et Jacobs, Hoffbauers, et Carus psychologica opera. Qui subtiliori judicandi facultate

non pollet, is satius interpretandi negatio se non accingat.

Sectio III.

De sensu inveniendo per culturam loquentis.

A.) De necessitate interpretationis historicæ.

§. 112.

Cognitæ sic notionis specifice unicæ porro adhuc investiganda est perfectio vel tenuitas.

Interpres vehementer erraret, si cognita quoad speciem notione unica jam omnem suam provinciam exhaustam esse existimaret. Etenim magnum adhuc ejusdem notionis in coævis, et majus adhuc in diversæ ætatis hominibus quoad gradum perfectionis discrimen obtinere potest, siquidem tum res, ad quas voces vel formulæ pertinent, in continuo fluxu erant, et partim in novam plane formam abibant, partim artium accessione magis magisque perficiebantur, tum cognitiones rebus in eodem statu permanentibus majores continuo et majores progressiones faciebant, veteres errores deponebantur, ac causæ rerum melius intelligebantur, quin tamen simul etiam pristinus loquendi usus semper correctus, aut perfectiori cognitioni attemperatus fuisset, cujus rei exemplum habetur, quod vel nos adhuc

dicimus: sol occidit, sol oritur: et quæ sunt similia; etiamsi error, cui innitebatur hic usus, jam diu abolitus sit. Præterea voces et formulæ dantur, quæ tum tenuiori tum perfectiori notioni vel sententiæ indicandæ inserviunt. Quodsi igitur interpres hujus rei rationem non haberet, frequenter contingeret, ut sive meliores sive deteriores, aut antiquis scriptoribus recentiores, domesticis peregrinas, verbo, alias notiones subjiceret, quam quas ipse cum verbis suis copulavit.

§. 113.

Interpretationis historicæ necessitas.

Quatenus jam vero interpres sive coævæ loquenti et domesticæ rerum conditionis, sive perfectionis aut tenuitatis cognitionum rationem habet, eatenus historice interpretari dicitur; siquidem quæstio, quæ fuerit quavis ætate rerum conditio, aut loquentis cultura, unde perfectionis notionum gradus pendet, manifeste quæstio facti est. Et quamvis hoc nomen etiam grammatici officium complectatur, potuit tamen pro analogia aliorum terminorum technicorum, et meruit pro usu disciplinæ salvo communi usu ita restringi, ut sic gravissimum istud negotium ab altero illo grammatico satis distingueretur. Hujus jam per eminentiam sic dictæ interpretationis historicæ necessitas satis ex dictis intelligitur, neque etiam

est, qui aut scriptores profanos, aut V. F.; aut eos etiam N. F. sermones, in quibus aut Judæi, aut apostoli ante effusionem S. Spiritus, immo eos quoque, in quibus iidem post effusionem S. Spiritus loquentes inducuntur, sed ex concessis disputant aut κατ' ανθρωπον argumentantur, historice interpretandos esse neget; quia secus sæpius ne quidem intelligi aut consequentes haberi possent. At promiscue N. F. scriptores historice interpretandos esse, non omnes concedunt, sed eos sæpius ad opiniones vulgi sese accommodasse, et quia tum, ubi id factum fuerit, vera ipsorum sententia interpretatione historica adhibita, quæ cum Judæis eos consensisse exhiberet, inveniri nequit, philosophice interpretandos esse contendunt.

§. 114.

Etiam quoad scriptores N. F. evincitur.

Gravissima igitur quæstio est, et ab interprete non declinanda, utrum id ita se habeat, nec ne? Jam facile quidem largimur apostolos, immo et Jesum ipsum vario modo sese accommodasse; at eatenus quoque, ut nisi philosophica interpretatione adhibita verus eorum sensus non inveniatur, nulli concedimus. Distinguimus nimirum inter varii generis accommodationes, et Jesum apostolosve moraliter, pædagogice, æsthe-

tice, quin negative dogmatice quoque sese accommodasse adeo non opus est nobis, ut negemus, ut potius asserere liceat, eum, qui ejusmodi accommodationes non admiserit, aut propterea interpretationem historicam deseruerit, verum sensum non inventurum esse. Moralis accommodatio quippe est agendi ratio, seu positio aut omissio actionis in se licitæ ratione habita ad conscientiam alterius; Pædagogica est instituendi ratio ad captum alterius attemperata, ita ut ea penitus omittat, quæ ad captum discipuli deduci nequeunt. Aesthetica accommodatio (siquidem ita adpellanda sit, et non potius simpliciter adplicatio dicatur) est adplicatio verborum alterius ad suum sensum, vel scopum, quæ quia plerumque ideo fit, ut propriæ orationi major gratia aut efficacia per verba alterius concilietur, propterea æsthetica dicitur. Negative dogmatica denique est ea, quæ errores aliorum vel penitus prætermittit, vel non nisi indirecte refutat. — Jesum jam et apostolos nonnunquam moraliter aut æsthetice sese accommodasse, quis neget? Sed nec minus certum est, inveniri ibi, ubi id factum est, verum agentis vel loquentis sensum per historicam interpretationem, quia de ejusmodi accommodatione ne quidem sermo esse potest, ubi nullum prostat indicium, ex quo pateat, agentem aliquid, non ceu absolutum, sed

relativum modo officium spectasse, aut verba alterius usurpanti non nisi consilium adplicandi fuisse. Quodsi quis modo ad captum alterius se demittit, is alterius cujusdam fuisse mentis ac quam verbis prodit, propter hoc ipsum ne quidem potest præsumi; nec etiam ille, qui alterum modo non refutat, ei assentiri censendus erit.

Longe aliter vero se res habet cum ea accommodatione, qua quis utens sententiam alienam tanquam suam tractat, ita ac si ipse tenues aliorum opiniones sequeretur. Id enim si eo usque progrediatur, ut nullum plane indicium prostet, ex quo melior loquentis sententia pateat, nulli, qui finem edocendi alios sibi propositum habet, et omnium minime apostolis concedi potest, quia pro authoritate divina, qua gaudebant, alios in erroribus suis ita confirmassent, ut nunquam nisi rejecta prius eorum authoritate ab istis revocari possent; quod etiam experientia octodecim sæculorum luculentissime comprobavit.

Ast, inquiunt, necessitate coacti ita sese gesserunt; quia reliquæ doctrinæ Christianæ viam obstruxissent, ni quibusdam judaicis opinionibus cessissent.

Vicissim vero nos quærimus, quæ potuerit esse necessitas, ut ne quidem subtiliorem aliquem nutum, saltem familiaribus suis et erectio-

ris dociliorisque ingenii discipulis præberent, unde tenuitas ejusmodi opinionis, meliorque ipsorum sententia saltem colligi potuisset: præprimis quum ipsi viri essent cordatissimi animi, miraculorum patrandorum potestate instructi, ac a Jesu longe alia edocti; quippe qui ipse citius passus est, ut vel apostoli ab ipso desciscerent, quam ut mitigaret doctrinam de carne ipsius comedenda Joh. 6.; et Mt. 15. disertis verbis: omnem plantam eradicandam esse, quam pater non plantavit; ibidemque 10mo, nec mortem ipsam timendam esse declaravit. Profecto si quæ fuisset, ea præprimis intuitu opinionis de Messia tanquam rege terreno, et de valore perpetuo legis Mosaicæ obtinuisset, ac quæ utraque altissime animis Judæorum insederat, et cujus falsitas demonstrata facile poterat quamplurimos ab accessu ad doctrinam Christi absterrere, immo revera permultos absterruit. Atqui huic tamen utrique apostoli maxime strenue obviam iverunt, eamque funditus evertere conati sunt. Si quis dixerit, eas propius accessisse ad arcem doctrinæ Christianæ, quam ut tolerari potuerint, opponimus aliam nullam exhiberi posse, quæ non nisi tanto cum periculo, quod prætexunt, convelli potuisset. Immo si eas doctrinas perlustramus, in quibus plerique accommodationem ejusmodi non modo necessariam, sed revera admissam fuisse conten-

dunt, tantum abest, ut tantum periculum evertendis substratis tenuibus sententiis adducendum fuisse statui queat, ut potius doceri valeat, partim sententiis melioribus facillimam patuisse viam, partim plane sectando tenuiores opiniones gravissima structa esse impedimenta, quo minus doctrina Christi a permultis admitteretur.

Quid enim admissioni doctrinæ Christianæ impedimenti objectum fuisset, si v. g. apostoli negassent corporum resurrectionem, aut angelos, dæmonesque mera providentiæ divinæ symbola esse declarassent? An non enim et Sadducæi quoque non modo corporum resurrectionem, sed et omnem spirituum subsistentiam, animæque humanæ immortalitatem negarunt, quin propterea a Pharisæis unquam communione seclusi fuissent? Aut si adventum Jesu ad extremum judicium nihil aliud sibi velle asseruissent, quam fore aliquando tempus, quo omnes sive pro merito præmia, sive pro demerito pœnas laturi essent? An non enim ita docendo permultorum dubia suppressissent, quæ parum aberant, quin eos ad deficiendum a religione Christiana solicitarent? Aut denique, si docuissent, Jesum non esse nisi supremum Numinis legatum, altioris quidem, non tamen divinæ naturæ, quam puriorem doctrinam esse adversarii existimant ab apostolis mente conceptam? An non enim tum permultos ex adversariis cau-

sæ Jesu in sectatores, atque patronos convertissent?

Denique qui accomodari cogitur, siquidem non potius omnem prætermittit sermonem de opinione, cui assentiri non potest, is quidem cogitur simpliciter profiteri sententiam alienam; at ut eam exornet, ut incrementis augeat, ut eam non provocatus in scenam proferat, quo pacto coactus fuisse cogitari queat? Atqui id ipsum tamen a Jesu apostolisque intuitu excitatorum exemplorum factum esset, ut nemini lectori N. F. et opinionum judaicarum non ignaro obscurum esse potest.

Necesse est igitur, ut, sicubi tenuiores notiones secuti sint, alibi vel meliores suas cognitiones expresse indicaverint, vel ejusmodi præmissas proposuerint, quibuscum tenuiores notiones non subsistunt, vel denique in genere accommodationis principium professi sint; et eo quidem magis ac secus ne quidem cum fundamento perfectiores notiones eis adjudicari possent, quum a priori ne quidem de inspiratis scriptoribus, uti jam in parte isagogica ostendimus, melior cognitio præsumi queat, ac quam sermone vel actu significarunt. Quum jam vero in prioribus duobus casibus nullum dubium esse possit, quin ope historicæ interpretationis verus sensus inveniatur; e contra autem in postremo omnino locus

esset philosophicæ, hic ipse a nobis porro adhuc investigari debebit.

§. 115.

Recitantur loca s. scripturæ N. F., in quibus apostoli in genere principium accommodationis professi sint.

Solent autem omnino varia loca adferri, quæ in genere innuant, apostolcs non gravatos esse ad tenues coævorum suorum opiniones sese accommodare; immo eis adhuc alia adjungunt, quæ manifesta admissæ accommodationis indicia præseferunt, iisque eatenus vim aliquam ad stabiliendam philosophicæ interpretationis necessitatem inesse putant, quatenus exempla admissæ in quibusdam locis accommodationis, etiam alibi non declinatæ suspicionem fundant. Id autem non ita se habere, in §. seq. ostendemus, nunc utriusque generis loca ipsa recitaturi.

Sunt jam vero et quidem prioris generis:

1.) 1 Cor. 3, 1. sqq. item Hebr. 5. et similia, in quibus dicitur, non potuisse apostolum fratribus loqui ceu spiritualibus, aut non potuisse eis cibum solidum præbere veluti perfectis, sed debuisse eis loqui ceu carnalibus, aut lac præbere veluti infantibus: quorum dictorum sensum hunc esse statuunt: debuisse apostolum

fidelibus, ad quos scripsit, tenuiores notiones admovere, tanquam iis, qui puriores nondum ferrent.

2.) 1 Cor. 2, 6. sq. 2 Cor. 3, 6. 15. 18 etc. in quibus partim doctrina Christiana describitur ut sapientia spiritualis, aut sapientia in mysterio, i. e. uti interpretantur, tanquam ea, quæ non subtiliori indagini philosophicæ pateat; partim distinguitur inter cognitionem ejus κατα πνευμα, et κατα σαρκα, i. e. juxta mentem adversariorum, inter eam cognitionem, quæ literæ inhæret, et eam, quæ literæ non inhæret, sed abditos sensus perscrutatur.

3.) 1 Cor. 9, 20. quo tanquam primario loco nituntur accommodationis patroni, quum vix dubium esse queat, quin Paulus id sibi velit: inter Judæos ipsum judaicas, inter gentiles ethnicas, inter infirmos denique i. e. parum adhuc cognitione maturos, tenues sententias sectatum esse.

Alterius generis: Mt. 9. et Joh. 5. coll. Joh. 9, 3. Luc. 13, 1. sqq. et ad Gal. 2; porro Mt. 11, 14. Act. 16, 1. sqq. 1 Cor. 8. etc. etc.

§. 116.

Examinantur.

Prioris generis locis jam vero non eum sensum inesse, quem eis accommodationis patroni substernunt, ex sequentibus patebit.

1.) Carnales enim apud apostolum, uti nemini obscurum esse poterit, contextum loci 1 Cor. 3, 1. sqq. conferenti, non sunt ii, qui tenues opiniones sectantur, sed ii potius, qui perfectiori religionis aut rerum divinarum sensu non sunt præditi, in quibus igitur acquiescere debeat, si modo ei tam felici esse contigerit, ut a vitiis avocet; si permoveat, ne verbis sophisticæ eloquentiæ ad persvadendum compositis aures amplius præbeant, licet sic adhuc longe remoti sint a perfectioris virtutis studio, a divina mente sectanda. Ita quoque lac in ep. ad Hebr. non tenues, sed in oppositione cum solidiori cibo, i. e. gravioribus doctrinis faciliores doctrinas denotat. Quo autem tanquam vero posito, hæc loca non amplius docent, Paulum aut reliquos apostolos accommodationi positive dogmaticæ deditos fuisse.

2.) Dum doctrina Chistiana Sapientia Spiritualis dicitur, ejus prærogativa præ œconomia Mosaica innuitur, quæ fere externo cultu acquiescebat, et licet virtutis præceptis non careret, tamen nullas vires præbebat ad sectandam eam, nec animum satis erigebat. Quid jam huic sensui commune est cum eo sensu, qui accommodationis positive dogmaticæ systema foveat? — Abscondita in mysterio dicitur, quatenus permultæ religionis veritates et præcipue benignissima consilia divini Numinis de modo, quo factum est, ut

salus procuraretur humano generi antea vel prorsus non, vel non nisi perobscure innotuerant, ad summum per sacrificia aut alia symbola adumbrata, per Christi doctrinam autem in clarissima luce collocata sunt; de qua expositione quæ vera esse negari nequit, jam eadem observatio valet, quam mox antea adjecimus. — Si distinctio inter γνωσιν κατα σαρκα, et γνωσιν κατα πνευμα omnino notat discrimen inter cognitionem imperfectam, qualem Judæi habebant de religione, et cognitionem perfectam, quid tum? anne propterea apostolus illi quidpiam concedit? anne ei adstipulatur? Atqui id recte probandum esset.

3.) Majorem speciem omnino quidem præsefert locus 1 Cor. 9, 20. sqq. si spectatur membrum: infirmis infirmus factus sum: quod sic seorsim spectatum haud alium sensum ferre videtur, quam hunc: accessi ad tenues eorum opiniones, qui nondum satis maturi erant in cognitione sua. Ast longe aliter se res habet, si verba hæc spectantur e materia substrata. Nam manifeste per totum istud caput sermo est de incommodis, quibus se subduxit, et de commodis, quæ sibi subtraxit apostolus, ne cui molestus esset aut scandalo, et hoc modo causa fieret, quo minus non accederet ad religionem Christianam, sic subduxisse se ait observationi legis Mosaicæ inter Judæos versatus, licet ab ejus obligatione se

liberum novisset, quæ res erat omnino molestissima; inter gentiles autem abdicasse se jure suo, petendi ab ipsis vitæ necessaria, ne hac re molestus eis esset, et arceret ab accessu ad Christiana sacra. Quæ cum ita sint, an non verba quoque: infirmis infirmus factus sum: sic interpretanda sint: in genere inter eos, qui non satis collustrati erant veritatis luce, nec firmiter persvasi de ejus præ Mosaico instituto præstantia, ita me gessi, ut nihil admitterem, sed solicite potius evitarem, (cf. v. g. 2 Cor. 8.) quidcunque eis ansam præbere potuisset, ut a religionis Christianæ professione deficerent; ita ut pro his hic locus quidem probet accommodationem moralem, minime vero stricte talem seu positive dogmaticam. Anne etiam secus pleno jure uti potuisset verbis: ut omnes Christo lucrifaciam; si partim judaicis, partim gentilium erroribus discipulos suos reliquisset, et non potius ad eam religionis cognitionem adducere conatus esset, quæ ab omni sive Judaismi, sive Ethnicismi concretione immunis erat?

Quod alterius generis loca attinet, haud de omnibus concedendum est, ea accommodationis positive dogmaticæ exempla continere. Nam Jesum Mt. 9. et Joh. 5. ex accommodatione ad judaicum præjudicium, quod omnes morbos peccati pœnas esse ferebat, dixisse: remittuntur tibi pec-

cata tua; parum probabile est, quum formula hæc vel similis non nisi in duobus adhuc locis præter commemoratos occurrat, nempe Luc. 7, 35. sqq. et Joh. 8, 3,, 12., in quibus manifestissime peccatorum vere admissorum ratio habetur; non obstante eo, quod frequentissima fuisset sub ista hypothesi ejus adhibendæ occasio. Ita etiam, si Mt. 11, 14. verba ει θελετε δεξασθαι: reddenda sunt: si modo velletis Malachiæ locum justo modo accipere, nimirum non de Eliæ persona ipsa, sed de viro, animo et fervore pro religione ei simili; quod longe probabilius est, quam ut reddenda sint: si ita vobis placet accipere; hic quoque locus cessat exemplum esse positive dogmaticæ accommodationis. Verum esto etiam, et hæc et alia adhuc prostare, quæ ex positivis indiciis talia esse cognosci possunt; anne inde colligi potest, tenuisse apostolos etiam alibi meliores notiones, quin ulla earum vestigia extent? Et non potius, fore, ut etiam alibi extarent indicia melioris vel potius alterius cognitionis, ac quam sermone significarunt, si revera talis eis præsto fuisset? Quamobrem non moramur locum Joh. 8, 44. quem quidam contra nos urgent; et eo minus quidem, ac dubium est primo, utrum sententia ibi proposita ad tenuiores Judæorum sententias pertineat; dein, utrum Jesus ibi e sua sententia dixisse asseri queat.

§. 117.

Adferuntur loca, quæ contrarium probant.

Præcipua autem ratio, cur nullo ejusmodi loco moveri possimus est hæc, quod iis alia bene multa opponi queant, quæ luculenter ostendunt, nostros meliorum notionum, quam quas dicendo professi sunt, nullateuus sibi conscios fuisse, sed potius ita sua cogitata elocutos esse, prouti ea conceperant. Ex quo genere sunt sequentia: *a*) Act. 20, 20. sq. in quo Paulus ait: se nihil dissimulasse eorum, quæ ad fidem pertinent, vel quæ faciunt ad utilitatem fidelium, quo minus ea publice et privatim exponeret; *b*) 1 Tim. 5, 20. 2 Tim. 3, 14. Tit. 1, 13. etc. in quibus idem Timotheum Titumque hortatur, ut depositum custodiant i. e. concreditam sibi Jesu Christi doctrinam ab omni hæreseos, et certe etiam, Judaismi aut Ethnicismi contagione puram illibatamque conservent; *c*) Gal. 1, 8. sq. qui locus quemlibet anathemati subesse declarat, qui vel angelo alia docenti, quam quæ Paulus docuit, aures animumque præbeat; *d*) Act. 17, 30. sq. ibid. 24. Rom. 2, 28. sq. 3, 31. 4, 1. sq. 6, 1. sq. Gal. 4, 26. Eph. 4, 32. ac in quibus locis Paulus omnem operam adhibet, quo occurrat sinistræ cuique verborum suorum acceptioni; *e*) Gal. 2, 14. ubi legimus eundem apostolum Petro in faciem restitisse, studio puritatis doctrinæ conservandæ duc-

tum? qui jam ita se gessit, aut declaravit, anne is alia adhuc et meliora quidem in mente habuerit, quam quæ verbis elocutus est?

Fere adhuc manifestiora sunt loca, quæ de Johanne extant; dum enim is 1. ep. 2. c. omni animi impetu sese opposuisse legitur cuivis prætensioni melioris perfectiorisque cognitionis, quam ea esset, quam ab apostolis Chistiani acceperant; dum omnem ejusmodi prætensionem vanam declarat atque ementitam, Christianosque hortatur, ut iis firmiter inhæreant, quæ ab apostolis, seu verius a spiritu sancto, omnis veræ et perfectæ cognitionis fonte, quo melius sapere nemo possit, essent edocti; an non hisce veluti disertis verbis fatetur, ipsi nullam meliorem cognitionem præsto fuisse, ac quam cum discipulis suis communicavit? — Id ipsum porro adparet ex conatu, qualem loca Evangelii 1, 38. 42. 4, 2. 6, 6. 11, 18. etc. produnt, singula accuratius definiendi, quæcunque potuissent sive in sinistram partem accipi, sive minus saltem intelligi.

Similem conatum produnt quoque Petri et Jacobi epistolæ. Ille solicite id agit, ut caveat, ne quædam Pauli dicta; item doctrina de secundo Jesu adventu perperam intelligeretur; hic, ne doctrina de fide et libertate Christiana in abusum deduceretur. Talis autem vix in iis cerni, saltem non ita eminere solet, qui accommodationi

student. Quo minus jam vero cæteros, forte propterea, quia similes declarationes de iis non extant, alio animo præditos fuisse statuamus, ne alia commemoremus, jam satis prohibet consensus, qui in doctrina eos inter, et Petrum ac Paulum etc. per omnes partes intercedit.

§. 118.

Consectarium.

Quæ cum ita sint; cum accommodatio ne quidem concipi queat, nisi loquens melioris sententiæ sibi conscius fuerit, patet, omnem sententiam, quam nostri ita tractarunt, ac quivis suam sententiam tractare solet, ipsis tanquam propriam adscribendam, et proin philosophicam interpretationem, quæ sententiam aliquam absque omni indicio loquenti adtribuit, non meliori loco habendam esse, ac veterem dogmaticam, quæ neglecta fere contextus ratione sensum verborum s. scripturæ sæpenumero eum esse statuebat, qui systemati ecclesiæ congruebat. Itaque libri N. F. non minus, ac V. F., immo ac quicunque alius liber, historice interpretandi erunt; atque si unquam major, ne dicam omnimoda inter interpretes consensio atque concordia speranda sit, ea illius unice ope, et nulla alia ratione efficietur.

Ne vero quis metuat, a nobis propterea, quia apostolorum; immo Jesu quoque ipsius dicta ad

culturam, seu sentiendi cogitandique rationem coævorum exigenda esse præcipimus, eis attribui sententias judaicas, sicque revelationis auctoritatem in periculum adduci; observamus adhuc, primo, non omnes Judæorum sententias inter tenues esse referendas, sed maximam partem fuisse veras, egregias, et sive rationis dictamine sive revelationis authoritate nitentes; dein si sicubi tenues susceptæ fuerint sententiæ, revelationis auctoritatem satis salvam subsistere, dummodo non desint meliorum notionum indicia, quæ autem sub hac hypothesi deesse nequeunt; denique per philosophicam interpretationem eam non tantum non magis sartam tectamque iri, sed potius, prouti haud quemquam effugere potest, funditus everti.

§. 119.

Ubi quis e sua, ubi ex aliorum sententia loqui censendus sit?

Quum per prægressam tractationem minime negemus, apostolos sententiis judaicis, etiam tenuioribus usos esse, sed id modo, eos non eo usque progressos esse, ut sententiam aliquam, de qua ipsis tamen minime persvasum fuerit, tanquam suam tractarent, absque ullo proposito indicio, unde melior ipsorum mens patesceret; omnis cardo rei nunc in eo vertitur, ut sciatur, ubi quis e sua, ubi vero ex aliorum sententia

dixisse censendus sit; quia secus non fieri non posset, quin interpres periculum incurreret, ut sententiam aliquam attribuat apostolis, quam ipsi tamen non professi sunt, vel vicissim. Patet vero id ex sequentibus rationibus, quas quidem plerasque jam in præcedentibus sparsim adtulimus; juverit tamen hic collectas exhibere et novis quibusdam augere: Itaque *a*) si loquens in demonstrando versatur; *b*) si materiam aliquam ex professo tractat i. e. per omnes partes deducit, argumentis confirmat, ab objectionibus vindicat, et contrarias sententias refutat; *c*) si sponte sua, nulla externa occasione provocatus, non tamen ex accidenti de certa sententia mentionem facit; præcipue *d*) si id sæpius agit, et quidem coram diversi generis hominibus, quin unquam eam variet, aut quemcunque nutum præbeat, qui meliorem sibi notionem inesse indicet; porro *e*) si sententia, quam tractat, ab analogia fidei non modo non abludit, sed ei potius adprime conformis est; denique *f*) si sententia ipsa nova, aut novis saltem additamentis exornata, vel in novam saltem formam redacta est; procul dubio loquens e sua sententia dixisse censendus, et ejusmodi sententia ei ipsi adscribenda est. Si enim tum non, quando unquam e sua sententia dixisse censeatur? præcipue obtinente ratione ultima,

quia

quia tum accommodationi ne quidem, et omnium minime accommodationi stricte tali, locus erat.

E contra autem, si quis modo ex incidenti, velut aliud agens sententiæ alicujus mentionem injicit; si in refutando versatur, aut κατ' ανθρωπον argumentatur, seu ex concessis, ut ajunt, disputat; si eæ præmissæ alibi extant, quibuscum certa sententia non subsistit; si variat dicta pro diversa auditorum vel lectorum cogitandi sentiendique ratione; si similitudine utitur orationis illustrandæ causa, aut imagine ab opinione erronea petita, aut terminis vel formulis, quibus falsæ vel tenues adcreverunt notiones, quin tamen eæ necessario iis adhæreant, aut spectatas esse per adjecta probari queat, aut plane confirmentur, et quæ sunt similia; loquens saltem non debuit e sua sententia dixisse, sed peculiariter demonstrandum foret, sententiam ejusmodi ei adtribuendam esse; ita ut propterea nihil timendum sit revelationis authoritati, si in ejusmodi locis apostoli tenues Judæorum sententias secuti sint, quia tum non ut suas tractasse dici possunt.

B. De fontibus ex quibus cognoscenda sit, tum rerum ipsarum conditio, tum sentiendi cogitandique ratio ætatis biblicæ.

§. 120.

Eorum diversa genera.

Demonstrata sic satis superque necessitate interpretationis historicæ etiam in sacris utrius-

que Fœd. paginis adhibendæ, nunc jam in eo est, ut fontes recenseamus, e quibus cognoscenda sit varia pro varietate temporis tum rerum ipsarum, tum sentiendi cogitandique rationis conditio. Ipsa etenim utriusque rei delineatio haud ab ipsa hermenevtica expectanda, sed peculiaribus disciplinis vel libellis reservanda est. Immo fontium quoque, e quibus rerum ipsarum varia pro ætatis ratione conditio cognoscenda est, recensione supersedere licebit, quum istud abunde factum est in Cl. Doctoris et Canonici Jahn Archæologia biblica, quæ ipsam quoque, ex fontibus commemoratis haustam, earum descriptionem suppeditat. Quod vero fontes attinet, ex quibus cognoscenda est sentiendi cogitandique ratio ætatis biblicæ, cujus rei non par ratio ibidem habita fuit, ii manifeste triplicis generis sunt, seu in tres classes commode dispesci possunt, christianos nimirum, judaicos et ethnicos, pro eo ac vel Christianorum sententiæ sunt, quæ respiciuntur, vel Judæorum vel gentilium. Atque pro hoc ordine etiam de iis tractabimus.

I. De fontibus Christianis.

§. 121.

Fons primarius cognoscendi sententias Christianas sunt libri N. F.

Ad fontes Christianos procul dubio primario pertinent ipsi N. F. libri. Quid enim Jesus, quid

apostoli senserint, quibusque doctrinis suos discipulos imbutos esse voluerint, unde certius cognoscatur, quam ex iis libris, qui ab ipsis originem ducunt? Id adeo liquidum certumque est, ut nulla expositione aut demonstratione uberiori egeat, propterea que statui debeat, nullam sententiam ceu vere Christianam esse habendam, quæ hisce libris non consentiat.

§. 122.

2.) *Patres.*

Quum libri N. F. non eo fine scripti sint, ut integrum doctrinæ Christianæ corpus complecterentur, sed singulis discipulorum desideriis atque occasionibus originem debeant, propterea que facile cætera, imo in genere ea abesse paterentur, quæ lectoribus Christianis, ad quos pertinebant, jam ex viva Jesu vel apostolorum institutione nota erant; ad pleniorem hanc, satisque perspicuam Christianæ sentiendi cogitandique rationis notitiam obtinendam, porro adjungenda erunt eorum scripta, qui vel immediati apostolorum discipuli, vel ab ejusmodi instituti erant, uti id fieri solet ut discipulorum scripta consulantur in Platonis aliorumque philosophorum principiis atque systemate cognoscendis. Neque enim sive de vera cognitione sive de fide suspecti esse possunt, saltem non ibi, ubi unanimiter consentiunt, quia secut

in omnia alia abirent. Sed videndum tamen est, ne aut spuriis, aut interpolatis Patrum operibus vel locis nitamur. Utrumque accidisse, et quæ aut quibus patribus scripta supposita, aut quorum opera et quibus in locis interpolata fuerunt, docet historia ecclesiastica.

§. 123.

3.) *Hæreticorum scripta.*

Uti apostolis cum Judæorum et Gentilium erroribus pugnandum erat, ita quoque cum iis rem habebant, qui Christianas sententias ad principia, quæ antea imbiberant, deflectere conabantur. Præcipuæ partes, quæ ex hac causa notari merentur, sunt Gnostici, et Ebionitæ, quorum illi philosophiæ sic dictæ orientali dediti, emanationes statuebant, de corpore humano, et de nuptiis quoque tenuiter sentiebant, et non modo V. F. despectui habebant, sed ipso quoque Jesu atque apostolis sapientiores se prædicabant, variisque sophismatis et fabulis homines deludebant; hi vero, Judaismo veluti immersi, V. F. libris apostolicis non modo æquiparabant, sed quibusdam saltem præferebant; Jesum ceu merum hominem suspiciebant, crassiorem Chiliasmum sectabantur, et immodica fere ritualium veneratione tenebantur. Ignoratis hisce aliisque eorum sententiis, aut non plene atque perspicue cognitis,

heu quoties interpretem N. F. non in obscuro versari oporteat? Unde autem nisi ex scriptis, quæ de his partibus adhuc extant, certior fiat? Etiamsi enim in Patrum quoque libris pleræque earum sententiæ commemorentur, ii tamen minus audiendi sunt, tum quia in genere quilibet sui optimus est interpres, tum quia iis pro vehementiori impetu, quo in heterodoxos ferebantur, facile contingebat, ut nonnihil deteriori in lumine eorum sententias collocarent. Quænam jam vero harum partium scripta supersint, iterum ex historia ecclesiastica discendum est.

§. 124.

4.) *Apocrypha N. F.*

Apocrypha N. F. dicuntur ea scripta, quæ apostolis vel viris apostolicis suffecta sunt. Id enim permulti egerunt, uti videre est ex Fabricii Codice apocrypho N. F., ex Birchii auctario Col. apocr. ex Kleukers Untersuchungen über die Apocryphen des N. T., aliisque, et quidem eo consilio ducti, ut vel relationibus, quas evangelicis vel apostolicis addiderunt, majorem, vel sententiis, quibus addicti erant, majorem favorem, aut iis, quæ sibi oppositæ erant, majus odium conciliarent. Ab ejusmodi libris jam abesse nequeunt, quæ in rem nostram faciant; ast si de fide quæritur, qua gaudeant, ea non potest

non suspecta haberi, non tam, quia fictione nituntur, ac quæ veritatem narrationum quidem, minime vero sententiarum ipsarum veritatem adficere potest, quam propterea, quod ætas plerorumque ex ipsis hucusque nondum satis determinata est; unde periculum enascitur, ne recentior sententia antiquiori ætati supponatur. Donec ergo melius in hanc rem investigatum fuerit, non nisi summa cum cautione, et vix unquam sine aliorum fontium consensu iis utendum erit. Qui diligentiorem curam eis hucusque adhibuerunt, præter Fabricium, et Kleukerum sunt Bretschneider in libello jam sæpius laudato p. 167 sqq. et qui introductiones in libros N. F. exararunt, inter quos eminent Schmidtius, Hugius et Eichhornius.

II. De fontibus judaicis.

§. 125.

Fontes judaici sunt α) libri V. F.

Ad sententias judaicas cognoscendas præcipue adhibendos esse libros V. F. quis dubitet? Et quidem libri Mosaici promiscue, sine discrimine sive ætatis sive regionis in hunc finem adhiberi poterunt, quia quascunque Judæi per decursum temporis et pro varietate regionum, in quibus positi fuerunt, in sua cogitandi, sentiendique ratione accessiones aut mutationes admiserunt, a decretis tamen Mosaicis adeo non discesserunt,

ut cuncta eis conformarent, et quæcunque contraria essent, constanter rejicerent. In reliquis vero novarum accessionum causa temporis ratio non erit negligenda, et in devterocanonicis insuper patriæ discrimen erit attendendum, quia etsi LXX in Palæstina lecti fuerunt, Palæstinenses tamen non omnes Aegyptiorum sententias susceperunt, uti vicissim admiserunt Aegypto peregrinas.

§. 126.

β) *LXX.*

LXX. in interpretando sæpius ita versati sunt, ut sensum hebraicorum verborum ad suas vel sui ævi opiniones exprimerent. Id v. g. factum est Devt. 32, 2 ubi verba textus, quæ sunt „a dextris ejus columna ignis illi erat in præsidium:" reddiderunt: *αγγελοι μετ' αυτȣ ησαν*; ibid. v. 8. ubi pro eo, quod textus habet „constituit deus terminos populorum juxta numerum filiorum Israel" ipsi habent: constituit deus etc. juxta numerum angelorum; item Gen. 6, 2. ubi iterum filii Dei commixti sunt cum mulieribus hominum; reddiderunt: angeli Dei etc. Confer. porro Jes. 9, 5. ubi hebraicum יוֹעֵץ vertunt *μεγαλης βȣλης αγγελος*; item צִיִּים et שְׂעִירִים quibus ordinarie substituunt *δαιμονια*. Hinc ergo licet versionis rationem modo præseferant, nihilominus pro peculiari fonte cognoscendarum sententiarum

judaicarum habendi sunt, et libris N. F. ex hac quoque parte lucem adfundere possunt, veluti se habet cum prius citatis locis, ex quibus lucem capiunt Hebr. 2, 2. Act. 7, 38. Gal. 3, 19. Jud. v. 8. etc.

§. 127.

γ) *libri N. F.*

Quum in libris N. F. nonnunquam Judæi, et præcipue apostoli ante effusionem spiritus s. loquentes inducantur; immo ii postea quoque hinc inde *κατ᾽ ανθρωπον* argumententur, ex concessis disputent, aut saltem orationem illustrent similitudinibus a judaicis opinionibus repetitis, et in genere sæpius ne quidem intelligi aut consequentes haberi possent sine supposita aliqua sententia, quam respexerunt, hi quoque libri fontibus judaicis adjungendi erunt. Et quidem ubi satis perspicui sunt, quoad ætatem biblicam N. F. qua coævi et domestici testes omnibus cæteris præferendi erunt. Quid? quod ne tum quidem cæteri audiendi forent, si prostanti alicui nutui utut obscuriori contrarii essent.

§. 128.

δ) *Thargumim.*

Thargumim chaldaicæ paraphrases potius sunt, quam versiones librorum sacrorum V. F.,

et haud raro ad longissimas digressiones, præprimis religiosi argumenti abripiuntur, ita ut propterea abesse nequeat, quin permulta iterum eis insint, quæ ad rem nostram faciunt. Ast quum vel antiquissimum ex illis haud ultra tertium sæculum adscendat *), inde a quo tamen Judæi plures Christianorum sententias admiserunt, vel saltem suas ex illis reformarunt **), eis in consensu cum sententiis Christianis haud sine suffragio aliorum sive antiquiorum sive puriorum saltem judaicorum fontium erit fides adhibenda; e contra, ut præcipue antiquiora ex ipsis ibi quoque suspecta habeantur, ubi a Christianorum decretis dissentiunt, nulla est ratio. Usum eorum quoad N. T. exemplis quibusdam illustravit Bretschneider l. c. p. 115—118. Alia inveniri poterunt in Chrestomathiis chaldaicis, quas Bauerus, Gaabius et Jahnius ediderunt, et quarum ut plures adhuc, aut una aliqua prodeat, quæ omnia ea collecta contineat, quæ ad s. scripturam illustrandam faciunt, summopere est optandum.

§. 129.

ε) *Psevdepigrapha V. F.*

Quemadmodum apostolis, ita et V. F. scriptoribus, aliisque eminentioribus priscorum tem-

---

*) cf. cl. Jahn Introd. in Ll. V. F. §. 46. sqq. p. 71—75.

**) cf. Storrii Diss. de sensu historico in ej. opusc. T. I. p. 1. sqq. et Süfskind in Flatt's Magazin Vol. X. tractat. 1. et 2.

porum hebraicæ gentis viris libri suppositi sunt, qui partim in eo sunt, ut doceant, omnem sapientiam, qua tantopere gloriantur græci, jam in libris Mosaicis contineri; id, quod eis etiam admissa a græcis quoque interpretatione allegorica satis feliciter successit; partim in eo, ut, quæ Jesus et apostoli de Messia docuerunt, non alia esse ostenderent, quam quæ antiquissimi viri jam de eo cogitarunt; alii denique varias fabulas, atque traditiones, præprimis de angelis et dæmonibus congestas referunt; quæ omnia ad rem nostram pertinere nulli dubio obnoxium est *). Ast, quod fidem eorum attinet, ii, qui id agunt, ut doctrinam Jesu apostolorumque de Messia antiquissimam fuisse ostendant, haud immerito suspecti habentur, ne a Christianis profecti vel saltem interpolati fuerint **). Cæteris vero, qui apostolico ævo antiquiores, aut non multum recentiores sunt, quod autem adhucdum de paucis tantum ad liquidum deductum est, quæ ex hac parte, si ratio habetur apostolici aut proxime prægressi ævi, opponantur, non sunt, sed ad summum id discriminis observandum est, ut prioris generis librorum testimonium magis ad Judæos

*) cf. præter Fabricii Cd. apocryphum V. F., et Bretschneideri libellum laudatum, Corrodi's Beyträge zur Erläuterung des a. u. n. t. Canon's.

**) cf. Storr et Süfskind ll. cc.

Alexandrinos restringatur, a quibus eos descendere, allegorica interpretatio satis manifeste prodit, quam promiscue pro Palæstinensium quoque sententiis cognoscendis adhibeatur *).

§. 130.

ϛ) *Josephus et Philo.*

Josephum et Philonem, quorum alter non modo Pharisaeorum Sadducæorumque principia et placita ex professo describit, sed integram etiam judaicæ gentis historiam ita tractat, ut quomodo Judæi eventa spectarint, ex ipsius descriptione pateat; alter totus in apologeticis, dogmaticis, vel moralibus materiis tractandis versatur, inter præcipuos fontes, unde sentiendi cogitandique ratio Judaica ætatis apostolicæ cognoscatur, atque summa fide dignos testes referre, quis dubitet, qui perpendit utrumque Judæum et apostolis fere coævum fuisse? Attamen, licet id in genere ita se habere haud negandum sit, vehementer tamen erraret, qui eis in omnibus et singulis partibus promiscue assentiendum esse existimaret. Præterquam enim quod id discriminis intercedat, quod quoad Palæstinenses Josephus magis audiendus sit, quam Philo Alexandrinus, Josephum suspec-

---

*) Exempla quædam ex iis collecta ad illustrandum N. T. exhibuit Bretschneider l. c. p. 124. sqq.

tum reddit non modo sectæ studium, unde metus exurgit, ne qua Pharisæus hujus sectæ sententias benigniori, Sadducæorum e contra doctrinas deteriori in lumine collocarit, sed etiam conatus, quem adhibiturum esse in procemio satis disertis verbis declarat, cuncta ita describendi, ut a Græcis Romanisque sine omni offensione legerentur. Quantam varietatem enim propositum istud, si effectum consecutum sit, potuerit immo debuerit in rem nostram inducere, quis non videat? Ad effectum autem pervenisse, demonstrant loca, quæ simul exempla esse possunt, unde intelligatur, quam noxam istud habuerit, et qualia manifeste sunt Antt. 2, 16. 5., ubi transitum per mare rubrum comparat cum transitu exercitus Alexandri M. per mare Pamphilium; ibid. 3, 5. 2. ubi post descripta phænomena in monte Sinai conspicua hæc subjungit: „Ego quidem prout ss. in libris descriptum reperiebam, horum unumquodque memoriæ prodidi; cæterum de his quisque, ut libuerit, sentiat:" denique contra Apionem II. ubi ait: „prudentiores ex Græcis eodem modo de Deo statuisse, quo Moses cogitavit." Quis enim hæc, quæ adeo contraria sunt luculentissimis tum N. tum V. F. testimoniis, vere judaica esse sibi persvaserit? — Quod Philonem attinet, is non modo cum Alexandrinis contra Palæstinenses in allegoricæ interpretationis stu-

dio consensit, sed si vera sunt, quæ Stahlins de ejus doctrina adtulit in Bibl. Eichh. Vol. IV. p. 771. sqq., ab his ipsis in quam plurimis rebus discessit. Alexandrinos enim non promiscue negasse malorum spirituum ac dæmonum existentiam; nec resurrectionem corporum; aut vicissim adeo pure moralem notionem de Messia tenuisse, qualem ex Stahlio Philo tenuit, satis patet ex libris devterocanonicis V. F. Unde consequitur nec Josephum, nec Philonem promiscue audiendum esse: illum non, ubi sectæ studium aut accommodationis ad Romanorum Græcorumve sententias ingredi poterat; hunc non, ubi suum sensum sequebatur, quod patet potissimum ex dissensu cum cæteris fontibus, nonnunquam etiam ex natura rei, vel plane ex disertis declarationibus, uti videre est ex citatis exemplis; e contra autem in cæteris rebus, et iu consensu cum aliis fontibus, præcipue N. et V. F. ceu probatissimos testes esse habendos; ita ut propterea vehementer optandum esset, ut brevi saltem Josepho novæ ex hac parte curæ adhiberentur, et quæ ad hunc usum faciunt, congererentur, atque in systema aliquod redigerentur. Nam præter Trendelenburgii Chrestomathiam flavianam, quæ prodiit Lipsiæ 1789, eaque quæ Comentariis v. g. D. Paulus, Küinoelii etc. insunt, nihil extat, quod interpretem adjuvaret. Quoad Philonem vero melius consultum est

ei: præter Stahlium nempe, qui Philonis systema theologicum l. c. delineavit, præsto est Chrestomathia Philoniana Dahlii Hamb. 1800., quæ placitorum Philonis non postremam rationem habuit. Totum ejus systema delineatum est in Brukeri historia philosophiæ, et in Tiedemann's Geist der speculativen Philosophie. Cf. Bretschneider l. c. p. 100.

§. 131.

ζ) *Thalmud.*

Thalmud est corpus traditionum judaicarum, tribus partibus constans; nempe Mischna i. e. textu, qui traditiones istas simpliciter refert, et circiter sæculo secundo medio confectus est; ac duabus Gemaris i. e. Commentariis, quarum altera Hierosolymitana anno circiter 230, altera Babylonica sæculo V. ad finem vergente ad exitum perducta est. Quamvis jam vero traditiones istæ maximam partem ad antiquissimam ætatem pertineant; pureque judaicæ sint; quasdam tamen ad Christianas sententias immutatas esse, aliquas ex hoc genere plane novas accessisse, satis fundata suspicio est. Quæ res autem, quum non difficulter ex dissensu reliquorum fontium judaicorum dignosci queat, cautionem quidem non omnem negligendam præcipit, cæteroquin vero fidem Thalmudis integram relinquit. Si partes ejus invicem

comparentur, Mischnæ propter altiorem ætatem major fides competit, quam Gemaris; inter istas autem Hierosolymitana tum propter ætatem tum propter patriam Palæstinensem Babylonicæ prævalet.

Tanquam fontes subsidiarii huic operi adjungendi sunt Abenesræ, Maymonidis, Abarbanelis aliorumque eruditorum Judæorum sæc. XIII. commentarii in Thalmudem et s. scripturam. Testes enim ob suam ab ævo biblico distantiam haberi nequeunt.

§. 132.

η) *Cabbala.*

Cabbalam, quo nomine insignitur opus systema theologicum Judæorum continens, fontibus, unde cognoscatur antiquiorum Judæorum sentiendi cogitandique ratio, accensendam esse, nullo modo persvadere mihi possum. Quæ enim sunt partes ei vere peculiares, et systematis hujus veluti fundamenta aut præsidia, minime ad tantam antiquitatem assurgunt, quantam quidam eis vindicare volunt. In hunc censum præprimis veniunt Sephiroth, seu prædicata supremi Numinis, de quibus confer Eichh. Bibl. Vol. III. p. 191. sqq. vel ejusd. Comment. in Apoc. 1, 4. 5, 13.; nam neque numerus neque ordo eorum consentit cum partibus doxologiæ Apoc. 7, 12., quo loco ta-

men unice nituntur, qui hanc partem systematis cabbalistici non modo apostolis coævam, sed ipsis adhuc antiquiorem esse demonstrare conantur. Ita quoque imagines et similitudines apocalypticæ, contra, quam patroni Cabbalæ statuunt, satis, ni melius adhuc ex libris antiquiorum prophetarum, quam ex cabbalisticis illustrari possunt. Porro sententia, quæ habet: legem fuisse Mosi in igne exhibitam tanquam unicum Phassuk: etenim nullo modo iterum probari potest, hanc sententiam fuisse apostolis coævam, nedum antiquiorem. Denique artificium Atbasch, quod in eo situm est, ut mediæ parti literarum alterum dimidium inverso ordine substernatur, et voces ex literis sibi respondentibus enatæ textui æquiparentur, cujus antiquitatem loco Jer. 51, 1. ubi LXX χαλδαιȣς i. e. כשדים, quæ literæ textus vocabulo לב קמי ex hoc artificio respondent, habent, comprobare volunt. At hanc versionem etiam sine hac hypothesi optime locum habere posse, quis non videat, aut inficias eat. Ad hæc accedunt alia manifestissima recentioris originis indicia, inter quæ refero distinctionem duplicis Messiæ, et doctrinam de Deo triuno, de quibus confer Bretschneider l. c. p. 135. sqq. Quare non nisi secundarii fontis dignitatem ei concedendam esse existimo, qui hunc usum præstet, ut quæ obscurius dicta sunt in veri nominis fontibus, in ipsa vero clarius,

rius, ope illius illustrentur. Cæterum de hoc systemate conferendi sunt Tiedemann Geist der speculativen Philosophie et Horn de Gnosi biblica.

§. 133.

3) *Sabæorum libri.*

Qui Sabæos pro secta habent, quæ ex discipulis Johannis B. prodiit, simulque sumunt Evangelium Johannis eis oppositum esse, ii non possunt non hos libros maximi facere, eosque ceu præcipuos fontes suspicere, unde sectæ hujus doctrina cognoscatur, ejusque e regione Evangelium Johannis explicetur. Qui vero aliter statuunt, tanti eos habere nequeunt, sed ad summum subsidiarii fontis usum eis concedent, unde discatur, quantum Judæi sic dictæ philosophiæ orientali detulerint, quum Sabæos saltem e Judæis prodiisse probabile est, eorumque placita ex philosophia ista originem trahunt.

De doctrinæ hujus sectæ corpore, ejusque fatis uberius tractarunt: Ignatius a Jesu in libro, cui titulus: narratio originis rituum et errorum christianorum S. Johannis Romæ 1652. Bijörnstahl in epp. de itineribus in provincias exteras. Vol. VI. fascic. II. 1783. Walch et Norberg in commentt. Soc. Reg. Götting. Tom. III. p. 26. sqq. IV. part. Philolog. Overbek in tentamine novo in Evang. Joh. Geræ 1784. Bruns in Repert. Eichh. Vol. XII.

Storr. von dem Zweck d. evang. Geschichte u. Briefe Johann's. Lindemann in Bibl Eichh. Vol. X. p. 879. sqq. J. E. Chr. Schmid in Bibl. für Critik u. Exeg. d. N. T. etc. Vol. I. p. 266. sqq. it. p. 420. sqq. Tychsen et Lorsbach in Stæudlins Beyträgen zur Philos. u. Geschichte d. Religions u. Sittenlehre. Vol. II. p. 289. III. p. 208. sqq. ibid. p. 226. Denique iidem et Arnoldi in Museo orientali ab his ipsis viris edito; de quo tamen non nisi particula I. hucusque comparuit.

§. 134.

1) *Libri Zendici.*

Ad altiorem dignitatem neque libri Zendici ascendunt. Etenim licet doctrina Zoroastri, qui sæc. VI. circiter ante Ch. N. in regno Mediæ floruit, omnem fere orientem, præcipue provincias Persarum imperio subjectas pervaserit, Judæisque certissime quoque innotuerit, quum uberior doctrinæ de resurrectione corporum explicatio, amplior de angelis dæmonibusque theoria, et major ignis aversio, quæ ante exilium longe alia erant, haud aliunde quam ex hoc fonte derivanda sit; quum tamen vicissim nullam doctrinam hujus systematis susceptam fuisse videamus, cujus non saltem vestigium aliquod in libris Mosis vel prophetarum extaret; easque sententias, quas Judæi revera inde susceperunt, ita attemperatas esse videamus,

ut omnia ea vel prorsus rescinderentur, vel saltem immutarentur, quæ libris ss. non conveniunt, quod v. g. ex doctrina de diabolo adparet, ac qui nullibi in libris ss. tanta potestate præditus conspicitur, quanta Ahriman pollet in systemate Zoroastrico; nullaque doctrina igitur jam ideo judaica habenda sit, quia et prout in his libris extat; hisce libris haud alius quam hic usus concedendus erit, ut adhibeantur ad illustranda obscuriora indicia, quæ in proprie talibus fontibus judaicis prostant. Ad hunc usum autem secure adhiberi poterunt libri, qui inscribuntur Vendidald (i. e. adversus Devvs) et Jzeschne (i. e. elevatio mentis), ac qui saltem maximam partem a Zoroastro ipso descendere, genuinamque hujus viri doctrinam præseferre, nunc saltem inter omnes eruditos convenit *).

§. 135.

κ) *Libri Indici.*

Postremum locum occupant libri Indici, ac qui unice ad illustrandos libros zendicos, quibus-

*) Quinam de hoc systemate uberius tractarunt videri possunt apud Bretschneider l. c. p. 154. sqq. Tentamen N. T. ex his fontibus illustrandi suscepit Herder in Erläuterungen zum N. T. aus einer neu eröffneten morgenländischen Quelle. Rigæ 1775. 4.

cum doctrinam Zoroastri communem habent, ad judaicos autem proxime nullo modo adhiberi possunt, quum Judæorum aliquod commercium cum Indis prorsus non constet *).

III. De fontibus Gentilibus.

§. 136.

Philosophi et Mythologi Græci et Romani.

Gentiles, qui in s. scriptura suspiciuntur, partim eruditi, partim illiterati sunt; illorum jam sententiæ, præcipue religiosæ, unde felicius cognoscantur, nisi ex Philosophorum scriptis, inter quæ facile eminent Ciceronis de Natura Deorum, de divinatione, et de officiis libri, quum in iis non suas solum, sed aliorum quoque celebriorum Philosophorum sententias persequatur? E contra autem ad vulgi rudiorisque plebis opiniones cognoscendas præcipue adhibendæ erunt Mythologiæ, veluti Ovidii Metamorphoses, et Comœdiæ v. g. Plauti, quia in hujusmodi operibus non tam eruditorum quam plebis potius sententiæ respici solent **).

*) Confer de iis Bretschneider l. c. p. 158. sqq. ubi etiam recensentur, qui uberiorem de eis notitiam præbent.

**) Adjumento esse poterunt notissima Brukeri, Tennemanni, Fullebornii, Tiedemanni et Buhlii opera, quibus historiam philosophiæ complexi sunt; item Ramleri, Heinrichs, et præcipue Creuzeri opera mythologica.

§. 137.

Historici et Itineraria.

His adhuc adjungi merentur Historici et Itineraria. Historici antiquiores nimirum res et eventus plerumque non nude solum sed ita describunt, ut simul pateat, quæ motiva fuerint, quæ decreta agentibus, quæ sensa aut affectiones patientibus; quod recte illud ipsum est, quod nos quærimus. Atque idem etiam obtinet in Itinerariis. Sane quidem hæc multo recentiora sunt, quam ut testes haberi posse videantur; at quum tamen humanum genus in certo quodam gradu culturæ fere ubique sibi æquale esse soleat, non nullius prorsus ponderis sunt. Quænam sint præcipua eorum, quibusque cautionibus in eorum usu utendum sit, satis indicatur in Cl. Jahn Archæol. Bibl. §. 3. Vet. VII.

§. 138.

Adminicula.

Quum, quæ sint adminicula ad singulorum fontium usum adjuvandum, jam suis locis indicavimus, non restant amplius nisi ea commemoranda, quæ omnium simul, vel plurium saltem opes paratas exhibent: Inter hæc autem, quæ referam, præter Wetstenii N. T., commentarios D. Paulus, Künœlii aliorumque, quorum infra fiet mentio, non scio, nisi forte Pælitii libellum de decretis Judæorum, et magis adhuc Leonhardi

Bertholdt Christologiam Judæorum Jesu apostolorumque ætate in compendium redactam, observationibusque illustratam; Erlangæ ap. Palm 1811. Baueri enim dicta classica V. F. it. Ejusd. Biblische Theologie des a. it. des n. T-s; porro Bibl. Moral des a. u. n. T-s; et Bretschneider's Dogmatik der devterocanon. Bücher des a. T-s rectius prioris generis adminiculis accenseri videntur.

§. 139.

Admonitio et votum.

Hisce autem adminiculis nemo velit acquiescere. Partim enim non jam omnia ea complectuntur, quæ ss. literis lucem adferre possint; apocryphorum enim v. g. et Josephi Flavii nondum is usus factus est, qui fieri et potest et debet. Partim non ubique saltem ipse textus originalis fontium, sed versiones modo consultæ sunt, quibus tamen in hac re prorsus non contentum esse licet, quia subtiliores notionum sententiarumque modificationes adeo inhærent certis terminis vel formulis linguæ originalis, ut in aliena lingua ex æquo repræsentari nequeant; præterquam quod hinc inde neque careant manifestioribus erroribus. Ubi etiam fontes ipsi consulti sunt, id tamen non semper ea, qua par est, ακριβεια factum est; nondum enim eo, quo decet, examine adhibito

in cujusvis ætatem et patriam investigatum est, nec solicite ea, quæ certæ regioni aut ætati peculiaria sunt, satis ab iis discreta sunt, quæ omnibus communia, et in specie cum Judæis Palæstinensibus quoque communicanda sunt; quibus tamen ad liquidum non deductis periculum est, ne peregrina domesticis, recentiora vetustioribus substituantur. Hinc ergo diligentius adhuc, quam hucusque factum est, fontium ipsorum studium ut suscipiatur, summopere optandum est, quo demum fiet, ut ad summam perfectionis metam disciplina Hermenevtica adducatur.

Pars II.

De sensus inventi explicatione.

§. 140.

In sensus repræsentatione vel explicatione.

Sunt, qui inter sensus repræsentationem et sensus explicationem distinguunt, sub illa cogitatuum auctoris claram atque perspicuam expositionem, sub altera revocationem dictorum ad principia objectivæ veritatis sive historicæ sive philosophicæ, atque consensus eorum aut dissensus cum hisce manifestationem intelligentes. Attamen discrimini huic nullum locum dare possumus, si verum est, quod in parte isagogica nobis demonstrasse videmur, examen veritatis ob-

jectivæ dictorum loquentis interpretem non attinere. Nisi ergo merum discrimen gradus attendendum sit, ex quo repræsentatio sensus nuda foret atque brevissima cogitatuum loquentis delineatio; explicatio autem uberior eorum expositio, quod tamen negligi et potest et solet; vel etiam notio artificii, quod fieri posse non nego, sed certæ tamen speciei magis, quam generi convenire existimo, in repræsentationis vocabulo concipiatur; hosce terminos pro nostra causa promiscue habere et usurpare licebit, nosque ideo absque piaculo promiscue habebimus.

§. 141.

Ratio habenda est necessitatis, vel desiderii eorum, in quorum gratiam suscipitur.

Insuper habito hoc discrimine in repræsentatione vel explicatione sensus jam manifeste est ratio habenda lectorum, in quorum gratiam ea suscipitur. Quum enim perspicua et solida sensus cognitio, ad quam promovendam ea suscipitur, non eodem modo in omnibus efficiatur; quum quibusdam cognita sint, quæ alios latent; vicissim vero alia, quæ ad captum aut persvasionem plurimorum deduci nequeunt; ingratum autem foret cognita repetere; et plane ineptum ea adferre, quæ nullius desiderii, nullius frugis sunt, aut nullo modo capi possunt, quibusque obrue-

rentur magis animi, quam illustrarentur; repræsentatio sensus ita comparata esse debebit, ut desideriis lectorum satisfaciat, eorumque captui conveniat.

§. 142.

Variæ species repræsentationis sensus.

Inde jam, et pro eo, ac liber interpretandus vel eadem linqua, qua interpretatio fit, vel vero peregrina scriptus est, variæ enascuntur sensum repræsentandi species; nimirum versio, paraphrasis, quibus vero adhuc scholia accedere debent, et commentarius, de quibus singulis igitur nunc breviter saltem præcipiendum est.

§. 143.

Quid sit versio; et quæ ejus condendæ suprema norma?

Quodsi liber aliquis peregrino idiomate scriptus est, primum, quod fieri debet ad perspicuam sensus cognitionem efficiendam, est, ut in vernaculam, seu in genere eam linquam transferatur, quæ a lectore intelligitur, vel uno verbo, primum est, ut versio adornetur, quæ est permutatio peregrini idiomatis cum vernaculo, vel domestico sermone. Admissa jam vero hac definitione, tanquam vera, simul patet, quomodo ea comparata esse debeat, vel quæ sit suprema ejus condendæ lex.

Si enim versionis natura in eo sita est, in quo diximus, nihil præter linguam a versore erit mutandum; nulla virtus sive logica sive æsthetica oratiori erit sive addenda, sive detrahenda. Versor quasi totam auctoris personam in se suscipit, ejusque loco ipsum ea lingua, in qua versio postulatur, loquentem facit. Hanc jam vero deponeret, vel saltem obliteraret, quamcunque in orationis forma mutationem susciperet. Quæ si vera sunt, neque discrimen inter versionem ecclesiasticam et privatorum usibus destinatam amplius attendendum erit, sed unice quæstio esse poterit, quousque ei sequi liceat indolem linguæ, qua in vertendo utitur.

§. 144.

Quousque versori liceat sequi indolem linguæ versionis.

Sunt, qui versori in hac parte omnes habenas relaxant, nullisque limitibus restrictam esse volunt libertatem, qua sequatur indolem linguæ versionis. Attamen qui ita statuunt, mihi non perpendisse videntur, quid sit alterius personam referre, atque ectypum efficere, qui archetypum exæquet; nec percepisse aut voluptatem, quæ ex versionis lectione originali vel quoad linguam, quantum fieri potest, respondente, qualis mihi, non diffiteor, oborta est conferenti versionem

Augustii et de Wette cum hebraico textu; aut suspicionis molestiam, quæ ex liberaliori versione enascitur, ne nimirum suos versor cogitatus auctoris verbis subjecerit. Equidem distinguendum esse arbitror inter eas peregrini idiomatis peculiaritates, quæ ad grammaticum ejus habitum pertinent, aut ex mera linguæ inopia, aliove simili defectu descendunt; et inter eas, quæ sive antiquitatis sive patriæ scriptoris, aut certæ cogitandi sentiendique rationis notas characteristicas sibi impressas habent. Esse enim in omni lingua ejusmodi formulas, vel terminos, qui cum his rebus præ cæteris cohæreant, alios autem linquam qua talem modo afficere, saltem citius negligi posse, quin characteristica aliqua certi loquentis vel eorum, quæ eum circumstant, nota pereat, quis hoc nesciat, aut neget? Quodsi autem id ita se habeat, quis non quoque statuat, vel linquam versionis in omnibus, quæ ita characteristica sunt, adeo adtemperandam esse genio idiomatis peregrini, quoadusque patitur indoles linguæ versionis, ut nihil eorum deleatur aut obfuscetur, præcipue, quum simul periculum sit, ne majori libertate admissa ipsa dictorum vis diminuatur? Uti e contra nemo non facile concedet, ea, quæ linguæ exteræ qua tali adhærent, si genio linguæ vel prorsus non, vel minus saltem respondent, a versore mutari posse, quum satis fundata

præsumtio sit, auctorem ipsum, si ei datum fuisset lingua versionis uti, in ejusmodi hujus potius quam originalis linguæ indolem secuturum fuisse. Quæ ad characteristica quidem pertinent, sed ita tamen in aliam linguam transferri nequeunt, ut salva persisteret indoles linguæ versionis, veluti se cum certis quibusdam dicendi idiomatis, qualia cuivis linguæ peculiaria esse solent, ea cum aliis formulis, sed quæ proxime accedunt ad peregrinas, permutanda erunt. Quod metuunt, ne hoc modo versio operosi nimis aut plane servilis laboris speciem nanciscatur, id sane quidem in eo, contingere poterit, qui non utriusque linguæ profunde gnarus fuerit; minime vero in eo, qui utriusque pariter peritus est. Is tantum aberit, ut verbum e verbo reddat, ut potius eam versionem efficiat, quæ præter linguam ab originali textu nulla re discrepat, cujus lectio proin non magis impedita decurrit, ac lectio originalis textus, quæ res in summa versionis virtute non immerito censetur *).

---

*) Non penitus prætermittenda esse videtur quæstio, utrum poematum hebraicorum versio metro adstringenda sit, nec ne, quæ in varias partes ab eruditis agitatur. Ut breviter dicam, quod sentio, illi mihi errare videntur, qui promiscue cujus demum cunque metri usum concedunt; etenim quum hebraica poemata metro careant, nescio quo pacto am-

§. 145.

Versionum censura.

Si jam ad hanc normam exiguntur versiones quæ prostant; antiquiores, si forte a Symmachi versione et Peschito, et pace mea τοις ὁ in quibusdam libris discesseris, fere in nullum censum venire possunt. Eæ enim literæ plerumque adhærent, verbum e verbo reddunt fere nulla prorsus perspicuitatis habita ratione, inopiæ linguæ originalis pæne nullibi succurrunt, vocabulis polysemis easdem semper voces substituunt, et haud raro etymologiam plane præ usu sectantur. E recentioribus V. F. versio theodisca ab Augustio et de Wette adornata, et Schottii latina, germanica vero versio

plius illusio subsistat, legi orientalis, non occidentalis poetæ elucubrationem, si versio in hexametris et pentametris incedat? Non ignoro quidem præceptum, quod John Denham, Anglus, Aeneidos interpres egregie his verbis expressit „non solum linguam in linquam, sed poesin in poesin transferendam esse." Sed quæro anne poetæ esse cesset, quod metro non est adstrictum? Si id ita se haberet, de hebraica poesi ob defectum certi metri ne quidem amplius sermo esse posset. E contra autem citius accederem eorum sententiæ, qui metrum, quod dicunt, jambicum adhibendum esse statuunt, eo quod istud ad poeticam prosam quam proxime accedat, et proin cogitationem, poesin legi, non prosam, adhuc citius menti admoveat, quam poetica prosa.

N. F. Friderici Preiſs cæteris omnibus palmam præripere videntur; etiamsi neque illæ jam summam perfectionem assecutæ sint, et Schottii versio haud raro a Künœlio feliciter correcta, et ad majorem concinnitatem adducta esse videatur. Cæteræ enim fere omnes non modo phraseologiæ biblicæ exiguam vel prorsus nullam rationem habent, ornatiore sermone aut magis saltem, quam antiquitatis ratio patitur, ad morem nostræ ætatis composito utentes, sed et orationem directam plerumque in indirectam convertunt, tropos negligunt, hacque liberali agendi ratione haud raro dictorum vim, ni plane sensum adficiunt; id, quod de Castalionis, Reichhardi, Thalemanni Füldensi et Stolzii versionibus Keilius in Elementis Hermenevticæ N. T. §. 122. pag. 200. sqq. *a.*) *b.*) *c.*) pluribus exemplis demonstravit; et certe etiam de Dathii versione valet. Seiler complicatiores Pauli periodos in simpliciores solvendo haud raro (cf. e. g. Hebr. 1, 1,, 4.) nexum membrorum logicum immutavit. Michaelis versiones et Boltenii impeditiores decurrunt, quam ut de præcipua laude contendant. Hetzelius plane triviali nonnunquam, veluti Mt. 15, 23. et ordinarie latiori phraseologia utitur, quam quæ simplicitati stili biblici congruit, eaque re simul lanquidissimam reddit orationem. Fratres van Eſs denique incusantur non eundem continuo servasse charac-

terem. Atque his veluti exemplis eo lubentius acquiescimus, ac propositæ observationes facile sufficiant tum ad normam generalem illustrandam, tum ad cæteras versiones, quæ adhuc præsto sunt, veluti Braunii, Mutschellii etc. dijudicandas, et uberiorem censuram angustiæ nostri operis haud patiantur.

§. 146.

Difficultas versionis condendæ.

Si ex hisce adpareat, nullam hucusque præsto esse versionem, quæ omnibus numeris absoluta esset, nihilque prorsus in se desiderari pateretur, id nullo modo mirum esse debet. Est enim condendæ versionis labor summæ difficultatis, summi artificii, cui suscipiendo perficiendoque nemo est idoneus, nisi qui sagacissimo ingenio, subtilissimoque pulchri atque decori sensu præditus, omnisque generis eruditionis adparatu instructus, in classicorum præcipue interpretatione versatissimus est, et copiosissima pollet eximiaque utriusque linguæ peritia. Secus enim haud adeo felici ei esse continget, ut in abditissimos animi loquentis recessus penetret, ejusque et cogitandi sentiendi loquendique veluti habitum induat, nec præsto erunt voces vel formulæ, quæ omnem dictorum vim exæquent, orationemque tum satis expeditam, tum prorsus concinnam red-

dant, sine qua re tamen versio semper a perfectione magis, minusve aberit; ad cujus summum gradum neque pertinget unius viri, ne dicam ætatis conatu, sed plurium demum junctis viribus ac meritis enitetur, quod ut post tot et tam præclara versionum specimina nostro ævo adhuc contingat, grandis spes est fore.

§. 147.

Paraphrasis.

Obscuritatem, quam per versionem, et eo majorem quidem, quo magis ea ad præscriptam a nobis normam composita est, relinqui non negamus, maximam partem tollit paraphrasis, quæ est uberior, continuæ tamen orationis terminis adstricta sensus elocutio ad perspicuam ejus cognitionem adjuvandam. Ea nimirum præcipue obscurum membrorum nexum in clarissima luce collocare nititur, supplendo notiones medias a loquente suppressas, seu implicite tantum indicatas, aliaque ex locis parallelis inserendo, quæ ad finitiorem sensus cognitionem conferre possunt; et non solum phraseologiam biblicam prorsus insuper habet, sed neque veretur ipsam orationis formam immutare, et v. g. complicatiores Pauli periodos in simpliciores convertere, quotiescunque perspicuitatis fini aliter consuli nequit. Ast modum tamen in hac re eum servabit, ut dicendi

for-

formam nullibi sine necessitate migret, quia etiamsi a paraphrasi non æque uti a versione postulatur, ut auctorem ipsum quasi loquentem nobis sistat, non tamen penitus insuper haberi potest, quum secus haud alterius orationis paraphrasis (circumlocutio) quam novæ potius orationis species legenti objiceretur. Præterea etiam a nimia prolixitate, aut verbositate cavebit, qua admissa utpote facile contingeret, ut contextus magis obfuscaretur, quam illustraretur, dictorumque vis ipsa debilitaretur. Ut magis adhuc sibi caveat, ne cogitatus ipsos immutet, eosve aut latiores aut angustiores, quam loquens concepit, describat, vix monendum esse videtur. Sed vel propterea, quia hanc suspicionem nunquam penitus effugiet, consultissimum esse videtur, ut ea nunquam sola, sed junctim cum versione proponatur, uti præclare egit Brentanojus, cui inter paraphrastas facile primus locus concedendus est, ad quemque ni par sit ei, proxime accedit Erasmus. Semlerus enim ob durius et hoc ipso obscurum dicendi genus, quod ubique sequitur, haud eis palmam præripit. Hessius nescio, an non commentatoribus magis quam paraphrastis accensendus sit? neque Cramerus, qui Psalmos circumscripsit, pure paraphraseos fine, qui situs est in perspicuitate adjuvanda, continebatur. De cæteris, qui sive singulos, sive plures simul libros paraphrasi illustrarunt, vide Keilium l. c. p. 159. sqq.

§. 148.

De Scholiis.

Perspicuitati utut maximam partem, non tamen penitus consulitur paraphrasi. Obscuritas enim, quæ circa logicum membrorum nexum versatur, non unica est, quæ lucem requirat. Quum autem continuæ orationi, cujus limitibus paraphrasis est adstricta, ea, quæ præterea scitu necessaria sunt, ad lucem obtinendam, haud inseri queant, annotationibus erit succurrendum, quarum vero alia atque alia ratio esse debebit, pro eo ac vel tanta modo perspicuitas desideratur, ut lectio interpretandi libri sine impedimento procedat, adeoque sensus plane cognoscatur, vel tanta, ut quoque propositi sensus veritas intelligatur. Priori fini paucioribus et succinctis scholiis satisfiet, quæ circa obscuriora vocabula et formulas illustrandas versari, præcipue res ipsas antiquas, puta ritus, mores, geographica, historica, verbo, archæologica cuncta, sine quorum notitia allusiones et imagines non intelligerentur, dilucidare atque eas difficultates expedire oportebit, quæ absque explicatione relictæ sinistram et perversam doctrinæ alicujus vel rei descriptæ acceptionem efficerent. Alteri autem fini, non nisi pluribus et fusioribus annotationibus, seu uno verbo, non nisi commentario satisfieri poterit.

§. 149.

Commentarius.

Commentarius etenim est solida atque erudita sensus expositio, qui proin non acquiescit iis adferendis, quæ planam atque expeditam reddunt libri lectionem, sed eam cognitionem ingerere conatur, quæ subtilissimis quoque difficultatibus atque dubiis expediendis par, ex omni parte firma, et de veritate sensus, de gradu certitudinis rationi reddendæ idonea est. Pro eo igitur primo ad omnem varietatem lectionis descendet, quæcunque quidem alicujus momenti, adeoque ita comparata sit, ut veritas sensus inde pendeat, vel inventio ejus per eam aut adjuvetur, aut impeditior reddatur; atque pro argumentorum tum externorum tum internorum majori pondere vel textus lectionem, vel variantem assertum ibit; secundo expendet, quæcunque vel philologice vel hermenevtice dubia aut minus saltem certa et liquida sunt; adeoque usum loquendi incertum pluribus testimoniis, si præsto sunt, demonstrabit, vel saltem etymologiæ et analogiæ linguæ ope, quæ ibi semper consulendæ erunt, ubi de abnormi construendi ratione illustranda agitur, ad majorem probabilitatis gradum adducere conabitur; vagum usum ad consilium, et contextum orationis et cætera præsidia hermenevtica exiget, et ubicunque varietas interpretationum obtinet, earum, saltem eminentiorum examine abstinere nullo po-

terit, ne temere aliquam cæteris prætulisse videatur. 3.) Ut historicæ quoque interpretationis præceptis satisfiat, tum rerum, quæ tanguntur, tum sentiendi cogitandique rationis, ubi eæ a nostris diversæ sunt, non modo simplicem descriptionem præbere, sed et ipsa veterum loca adferre debebit, ex quibus hoc vel illo modo eas comparatas fuisse intelligatur, quotiescunque res non adeo jam ad liquidum deducta est, ut prudenter dubitari nequeat. 4.) Nostri ævi desideriis parum vel penitus non satis faceret, ni solicite ubique excuteret, notaretque, utrum loquens e sua, an ex aliorum sententia dixerit; utrum mythum an historiam præbere, utrum denique eventum miraculosum, an vero naturalem describere voluerit. Neque Commentario biblico vitio verti posse videtur, si saltem nutum aliquem præbuerit, utrum dicta auctoris objectivæ veritati consentiant, vel aliis verbis, si monuerit, utrum dicta loquentis historice vel philosophice vera sint, nec ne; itemque, quæ ad temporanea, quæ vero ad dogmata absoluta referenda sint, quia is in theologorum usum præprimis scribi solet, quorum id scire vel maxime interest, et opportune igitur ad hoc examen aliquando suscipiendum ab interprete præparantur. 5.) Etiamsi versio et paraphrasis non continuo adjungi soleant, nescio tamen, utrum id naturæ rei consentanee fiat; sed esto etiam; ibi tamen haud abesse poterunt, ubi vel versiones

prostantes corrigendi locus, vel nexus membrorum logicus obscurior est, quam ut sine paraphrasi plane atque perspicue intelligeretur. Quod formam ejus adtinet, ea, quæ ad illustrandum, et demonstrandum necessaria sunt, partim continuo cuivis versui, cuivis voci vel formulæ subjici, partim præcipue, si major nonnihil interpretationum varietas excutienda venit, in peculiares excursus, plerumque ad finem libri adjungi solitos, referri poterunt.

Quemadmodum vero in vitiis ejus reponendum foret, si graviorem aliquam difficultatem intactam relingueret, vel obiter tantum delibaret, ita vicissim quoque haud adprobandum foret, si ad quasvis lectionum minutias excutiendas descenderet; aut obvias quoque formulas illustraret, demonstraret; vel denique si in dogmaticum aut polemicum tractatum emergeret, vel asceticis aut homileticis usibus eliciendis tanquam ex professo occuparetur.

§. 150.

Præstantiores Commentarii recensentur.

Si jam ex his æstimantur, qui prostant, commentarii, ex antiquioribus præstantiores fere sunt commentarii Origenis, Hieronymi, Theodori Mopsvestheni, Theodoreti, ac Theophylacti, quibus quoque homiliæ divi Chrysostomi adjungendæ sunt, quum haud raro in ijs textus s. scripturæ persubtiliter expendantur. Inde ab ævo reforma-

tionis præclarius in hac re versati ex Catholicis Estius et Maldonatus; nec spernendi sunt commentarii doctissimi Calmeti, de Sacy, et Weitenaueri; inter Protestantes hujus ævi cæteros fere omnes longe post se relinquunt Hug. Grotii annotationes tum in V. tum in N. F. Plurium acatholicorum interpretationes doctæ atque eruditæ collectæ extant in criticis sacris. Amstelod. 1698. 9. Vol. Fol. et Fcft. ad Mænum 1697. VII. Vol. cum II. Vol. supplementt. ibid. 1700. 1701. Fol. Ex recentissimis, qui quidem a catholicis profecti sunt, fere unus instar omnium est, commentarius doctissimi Dereser in libros V. F.; et quoad N. F., qui melius in hos libros commentatus esset ex nostris Thaddæo Schnappinger, non novi. Quod Protestantes attinet, Scholia Rosenmülleri in V. F., quæ tamen nondum ad omnes libros pertigerunt, parum aut nihil in se desiderari patiuntur. Quoad N. T. præter Joh. Georgii Rosenmülleri scholia præprimis commendari merentur, Christoph. Theoph. Künœlii commentarius in libros N. T. historicos, de quo quatuor Evangelia hucusque comparuerunt, actus vero adhuc desiderantur; item Philologisch - kritischer und historischer Commentar über das N. T. v. Heinr. Eberh. Gottl. Paulus, quem inde a pluribus annis interruptum nunc iterum continuari spes est; præstat insignis eruditionis divitiis; ast maturiori tamen judicio præditum, atque in inter-

pretandi principiis satis obfirmatum esse oportet, qui eo recte utatur, quum haud raro etymologiam præ usu sectetur, coneturque miraculorum narrationes in eventuum naturalium descriptiones commutare, et quæ sunt alia hujus generis. In Actus commentatus est Morus, cujus commentarium edidit Dindorf, et Heinrichs, cujus commentarius tamen nondum finitus est; in ep. ad Rom. Koppius et Bœhme; in ep. ad Gal. prior et Borger; in epp. ad Thess. et Eph. iterum Koppius; in epp. ad Philipp. Colofs. Tim. Titum, Philemonem et ad Hebr. J. Heinrichs; in epp. ad Cor. commentarium promisit Dav. Jul. Pott. qui egregiis suis laboribus etiam prosecutus est ep.m Jacobi utramque Petri, et præter eum omnes catholicas epistolas complexus est Augustius. In Apocalypsin extat Commentarius Joh. Godefr. Eichhornii; cui jungendæ sunt doctissimæ ac subtilissimæ annotationes in hunc librum auctore Storrio, quæ continentur in commentt. theol. editis a Velthusenio, Rupertio et Künœlio. Vol. IV. p. 434. sqq. V. p. 300. sqq.; itemque Aloysii Sandbichler Erläuterungen zu Joh. Jac. Hefs. Geschichte Jesu u. der Apostel Th. II.

§. 151.

Qua ratione ad interpretationis perfectionem enitendum sit?

Hisce jam satis nobis descripsisse videmur interpretationis theoriam, ad quam vero, uti in aliis rebus, necessario accedere debet frequens

et continua exercitatio, quo quis sacris libris rite interpretandis idoneus reddatur, et magis adhuc ut ad eminentiorem aliquem perfectionis gradum in hac re enitatur. Absque ea nimirum non succurrent ei competentes singulis locis regulæ, et multo minus eas debite adplicandi aliquem habitum contrahet, sine quo tamen nihil perfecti unquam effici potest. Ab initio autem ne exercitatio quidem feliciter succedet sine aliquo duce, qui de opportunis cuivis loco regulis eum moneat. Ejusmodi vero tamdiu adjutus, donec ipse habitum contraxerit continuo ad plures commentarios consulendos progredietur, quo in notitiam perveniat varietatis interpretationum, in iisque examinandis ponderandisque judicium suum exerceat acuatque, qui ita debito tempore versatus fuerit, nec ullum eorum studiorum neglexerit, quæ interpretatio sibi deposcit, veluti linguarum, critices, Introductionis, veteris historiæ, Geographiæ, Chronologiæ et Archæologiæ; qui classicos diurna versarit nocturnaque manu; profecto eum pinquioris Minervæ filium esse oportuerit, ni propriis conatibus suscipiendis idoneus redditus fuerit, qui de laude cum præclaris aliorum laboribus contendat *).

*) Ad varietatem interpretationis cognoscendam egregio adjumento interpreti erunt: Joh. Christoph Wolfii Curæ philologicæ et criticæ Hamb. 1737 — 41. Ed. II. et Joh. Chr. Kœcheri Analecta philologica et exegetica etc. Altenb. 1766. 4. Si plures extarent monographiæ, quales sunt Bonitzii, Antonii etc., quæ omnem varietatem interpretationis in eminentioribus locis obtinentem complecterentur, atque per classes describerent, eæ præcipue in hunc finem commendandæ, et studiosissime ab interprete conquirendæ essent.

Vulg. authentic pp 69.70